















Q L VI. 26.
BIBLIOTHECA
REGIÆ CANONIÆ
STRAHOV
PRAGÆ BOHEMIÆ





FASCICVLVS CHEMICVS,

ABSTRVSÆ HERMETICÆ SCIENTIÆ,

INGRESSVM, PROGRESSVM, coronidem, verbis apertiſſimis explicans, ex ſelectiſſimis & celeberrimis authoribus, tali ſerie collectus, & diſpoſitus, vt non modo huius artis tyronibus, ſed candidatis, ſummo emolumento, inſtar ſpeculi Philoſophiæ habeatur; à nemine hac methodo diſtributus.

Opera & ſtudio ARTHVRI DEE, *Archiatri Magni Imperatoris totius Ruſſiæ.*

Noſtrum magiſterium incipitur, & perficitur, vna re tantum, id eſt Mercurio. *Ventura pa. 26.*






PARISIIS,
Apud NICOLAVM DE LA VIGNE, [illegible]
Officina in curia Palatij.

M. DC. XXXI.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY





CHEMIÆ STVDIOSIS.



VAMVIS testante Aristotele in numero scientiarum habeatur musica, Philippum tamen Regem, filium suum Alexandrum harmonicè modulantem hisce verbis increpuisse legimus. Nonne te pudet, Alexander, ita concinnè modulari? quibus intelligi voluit ignobiles nobili, publicè artem illam profiteri. Sed cum sibi potius dedisset otium, vel semotis turbis priuatim, vel ad spiritus suos refocillandos, vel si de musica esset aliqua decertatio vt moderetur conuen ire consimiliter (proh dolor!) cum arte Chemica se res habet, dum per impostorum

fraudulentiam adeo ſit difamata & in contemptum deducta, vt pubica vratur ignominia qui illam exercere profiteatur. Plurimi nihilominus, imò nimium plurimi in hunc vſque diem reperiuntur qui glorioſæ, & diuinæ huius artis neſcio quam vmbram profitentes, totum quaſi mundum, in ſui perniciem rapiũt, æs, ferrum, aliudve metallum, in aurum non tranſmutare, ſed auro commutare magno multorum gemitu tãdem reperiuntur. Gemunt orphani, propter eiuſmodi nebulonum fraudes, plorant viduæ, lamentantur mariti, conqueruntur coniuges miſeriam ſuam. Hic agros, ille domum, alius reditus abſumptos deſiderat. Et inter hos etiam (quod magis mirandum) plurimos in omni Academicâ ſcientiâ inſtructos nouimus, quorum gratia non minus admiratione, quam terrore perculſus, nonnihil animum deſpondi, illorumque diſpendio inani, ab auriferæ iſtius ſcientiæ vlteriori ſcrutinio, pedem ſuſtuli. Pueritiæ verò meæ reminiſcentia, qua per ſeptennium veritatis oculatus fueram teſtis, dies difficiles, noctesque mihi curauit inſom-

nes, vsque dum secundùm Bernardi Comitis consilium per aliquot annos, legi, & accuratius perlegi selectissimos, probatissimosque authores, quos quamuis primitus inter se discrepantes reputabam, vt quod ab hoc dictum, ab illo negatum, quod hic constructum, illic destructum videretur. Tandem tamen annuente numine diuino, Hermeticè & Harmonicè in vna re, vna via, & vna veritate, concordes reperi. Vnde hos veridicos Philosophos, illos vero pseudo-Chemicos retexi, tandemque Dastini Philosophi dictum memorabile in mentem reuocaui. Quod non sufficit esse doctum, nisi in hac re, de qua oritur quæstio aliquis sit doctus. Sic alias doctos, in hac arte indoctos reperi, inter quos vnicum, noui Episcopum (cuius fama in arte Chemica, à multis celebratur) quem (cum tractatulum Chemicum propria manu scriptum vidissem) visitabam. Cumque in auro vulgi, vnde vitriolum studebat elicere (quod pro suo tenebat arcano) omni studio laborantem reperi, reliqui. Dum præ manibus nec debitam materiam, neque operandi modum secundùm Philosopho-

rum doctrinam tenebat. Plurimos etiam cognoui Carbonarios, & receptorū mercatores tàm in Anglia, quàm in Germania, & Bohemia, ſed ne vnum quidem per annos triginta reperiebam, in debita materia laborantem; vnde nec vllum, qui titulo Philoſophi meruiſſet conſigniri. Et quantum ad me attinet ſi vlterius non fuerit mihi conceſſum quam à longinquo terram aſpicere ſanctam, quicquid ex immenſa ſua miſericordia D. O. M. mihi conceſſerit, placebit, admirabor. Interea tamen dum oblectandi gratia in Roſario verſor philoſophico fauente Hortulano, flores aliquot non minùs amœnos, quàm ſalutares, in Tyronum huius artis vtilitatem (dum aliquot annos legendo & perlegendo conſumerent priuſquam rectè congerere, vel congerendo componere nouerint) in faſciculum Chemicum ſelegi, elegi, quem vobis huius Veritatis amatoribus (ſi non nimis audacter) conſecrandum, in lucemque emittendum operæ pretium duxi. Patiemini igitur viri ſtudioſi, hunc meū faſciculum, qualicumque mea opera collectum, veſtrorū authoritate, & gratia,

illustriorem effectum in manus hominum grassari: Vnde fauenet, & annuente Deo expetitum, & ab innumeris in dies quæsitum, excerpore queant. Ego verò quod in obseruantia, fide, omnique officio, & meritorum vestrorum memoria, præstari à me vobis laudi honorique vestro, vspiam poterit, propense me id, ac officiosè præstaturum spondeo, voueo. Valete viri clarissimi, & vestro patrocinio me, fouere ne dedignemini.

Vobis deditissimus, ARTHVRVS DEE, C.M. Archiatros Anglus.

CANDIDO LECTORI. S.

QVEMADMODVM Ratio, & Experientia iure manus appellãtur medicorũ, ſine quibus nec ſanitas, vitæ theſaur⁹, tuetur, neque ægritudo mortis caduceator expellitur, ipſaq; manet medicina manca; Sic in hoc opere philoſophico, natura, neceſſariò & ars ſeſe inuicem tam amanter concomitari debeat, vt ars non poſtulet, quod natura neget, nec natura neget, quod arte perfici poſſit. Illa verò lubens vnicuique artifici ſeſe morigeram præbet, dum induſtria illorum auxiliatur, non impeditur. Cuius greſſus, progreſſus, motus, ſtatuſque quicumque ignarus fuerit, ab hoc opere, per ſe abſtruſiſſimo,

aliasque mirabiliter à Philosophis nubilis infinitis adumbrato) pedẽ sustineat: nihil enim illi succedit ad votum naturam ignoranti, aut cogere conanti: ipsa namque (vt doctè Raimundus) non vult cogi, nec coarctari. Sed quicumque artis honore insigniri, vel eius apicem attingere desiderat, naturam naturantem, propagãtem, multiplicantem prius obseruet, & ancilletur, ipsaque magistra & duce, Arti in quãtum poterit, licebit assimilare, quæ quidem quamuis in diuersis sit naturæ correctrix, & auxiliatrix, dum ab inquinamentis mundat, & in motu impeditæ auxiliatur, vt in omnibus tamen imitetur, impossibile est. Vt enim in hoc opere diuino (cum non immeritò hoc assignatur titulo, dum ab omnibus philosophis affirmatur nemi-

nem per ſeipſum ſine diuina inſpiratione illud comprehendere vel intelligere poſſe etſi doctiſſimus alioqui philoſophus exiſtat) ſic in alijs omnibus corporibus compoſitis, in prima elementorum mixtione, ſiue compoſitione (vt taceam cauſam motus & coïtus ignotam) vniuſcuiuſque elementi pondus & proportio penitus ignorantur. Arcanum illud arcanorum, à Creatore in principio, naturæ conceſſũ, ſua poteſtate adhuc retinet, & vſque in mundi cataſtrophen retinebit, ne forſan mortales, ſi illis patefactum fuiſſet, inſolentia, dæmonumque ſuperbia elati, creare præſumant, quod ſoli Deo conceditur; qui verbi ſui poteſtate ineffabili naturæ ipſius miniſtro generationem, propagationem, & multiplicationem con-

cessit. Dum etenim rebus creatis inspirauit mundi geniturã (dicẽs, crescite & multiplicamini) quandam germinationem, hoc est viriditatem, qua se cunctæ res multiplicarent (vnde quidam profundius speculantes, omnes res dicebant esse virides, quum esse viride, crescere dicatur & coalescere) eamque viriditatem naturam appellabant; Non immeritò igitur naturam venantur, & venerantur philosophi summi, dũ sine sua ope Ars in hac arte nihil pręstaret. Non mirandum etiam, si de mirabili potestate Naturæ, & Artis mira scripsit doctissimus ille monachus Rogerius Bacho Anglus. Nec minus naturæ vim Parmenides hisce admiratus fuit verbis; O natura cœlestis illa, veritatis naturas vincens, & superans, suasque naturas gaudere fa-

ciens. Hæc eſt natura illa ſpecialis, & ſpiritualis, cui Deus poſſe dedit ſupra ignis violẽtiam, ideoque magnificamus eam, quia nihil eſt pretioſius. Hanc ideo (beneuole Lector) Heroinam (ſine qua nihil aggredimur in hoc opere, nec perficitur) tibi artiſque filijs recommendatam habeo; vt omni opera, ſummoque ſtudio ipſius amicitiam ineatis, vt cum poſtulauerit tempus, aſſeſſores, non inſidiatores naturæ, & Artis reperiamini. Cuius rei gratia, hũc edidi tractatulum, nempe faſciculum meum Chemicum vnde ex abſtruſioribus naturæ arcanis electis, ſelectis, compactis, & ordine digeſtis non vulgari, redditur quaſi ſpeculum ſpectabile, radijs ſuis fulgentibus, reflectentibus, naturæ ignota penetralia, nota reddens. A Chao originem ſumens, ad ſeparationem lucis à

tenebris progrediens, & à perfe-ctionis gradu (arte comitante) se-mita detegitur, & delineatur, qua tandem ad plusquam perfe-ctioné perducatur natura. Quod quidem Opusculum, licet multis forsan leuidense videatur, dum plerumque sint dicta Philoso-phorum ordine tantum digesta, neque hoc tamen leue negotium cum testatur de seipso Dauidus Lagneus in Epistola sua ad Har-moniam suam Chymicam, dum consiliarius & Medicus Regis Christinissimi fuit, duobus se supra viginti annis, assiduo labo-re sudasse, donec cõsimilem (for-san) composuit tractatulum. Quantum autem ad huius ope-ris seriem attinet, decem conti-net capitula, & vnumquodque caput ordinem operis sequitur, vnde etiam mysterium reuela-tur, quod celandi gratia à nullis

antehac ordine depingebatur, ſed principium in finem, & finem in principium eo modo inſerebant; vt teſtante Dionyſio impoſſibile fuerit (ſic diſponente diuino conſilio) reperiri omnia ex ordine ſcripta. Aliqua etiam capita non titulis tantummodo vix antehac auditis inſigniuntur, ſed rara etiam imo artis arcana (quæ vt plurimi aſſerunt non ſunt reſeranda) patefaciunt. In fine vero vtriuſque capituli medullam ipſius extractam breuiter compoſui, expoſui. Alioquin, vt inquit Senior, ſi non exponerem ex eis aliquid, erit liber meus idem, quaſi liber illorum ſapientum & verba mea ſua, & ego veluti accepi verba illorum, & mihi attribui, quod eſſet illaudabile, & dedecus illi qui ſic faceret. Quos vero produxi Authores, quiſquis illos nouerit, non

negabit ſelectiſſimos eſſe, acutiſ-
ſimos, probatiſſimos, & ex illorũ
ſcriptis, ſelecta, electa, ſelegi, ele-
gi, eaque tantum quæ neceſſario
tractari debeant, vt ars innoteſ-
cat, in idoneis, & friuolis omiſſis,
quibus ſeducuntur à via veritatis
quamplurimi, dum intelligenti
tantummodo contingit, verum à
falſo diſtinguere. Aliter namque
in illorum ſcriptis non occulta-
tur veritas, quàm inter paleas
triticum, quam cum non leui la-
bore imò ſudore efflagellaui; ve-
lamine ſpoliatam, denudatam,
ſtudioſis Lectoribus, in bonum
commune exhibui, ſperans, hanc
meam induſtriam, non modo
candidatis, non inanem futurã,
ſed etiam doctis gratam, quod-
que explicata, & læta fronte vta-
mini, exopto. Vale. Ex Muſæo
noſtro, Moſcuæ Kalend. Martij
629.

IN FASCICVLVM DIGNISSIMI VIRI D D. Arthuri Dee, arcanæ Philosophiæ alumni singularis, summique totius Russiæ Imperatoris Archiatri.

F*Asciculum tuum (Illustrissime vir) diuinum sanè argumentum singulari indicio diligentiaque laboratum legi quidem cupidissimè, mirificéque admiratus sum tam breui opusculo, tanta mysteria reuelari, atque ex tam tenuibus lipsanis, tam lautum & opiparum extrui conuiuium. Extra humanæ quidem infirmitatis sortem (tantus tibi arcanorum intellectus) mihi constitui videris, dignus Tibi enim contigit, (quod non dicam nemini aurem mihi vellet Bachonus noster suo roratu sermone, Tempus est, tempus præteryt, sed certè, non multis mortalibus, ipsum Isidis peplum detegere, singulari arte ac artificio. Tibi patuit in intima naturæ penetralia ingressus, cui à summa iuuentute à consilijs fuisti atque amanuensis. Tibi*

multis nominibus astricta tenetur tota literaria resp. quod ipsam Chemiæ animam tot tantisque inuolucris à Philosophis primæ ætatis inuolutam & tenebrarum puteo eruisti, & commentarios commentariys, corollaria corollariys addens, sua natiua luce resplendentem omnibus sanæ mentis spectandam proposuisti. De animalibus quibusdam refert Seneca diuinus ille Philosophus, quæ ne inueniri possint, vestigia sua circa cubile ipsum confundunt. Haud absimili ratione, Heroës illi Chemici, Bachonus, Raymundus, Dunstanus, Ripleus, verbo vt dicã, vnanimi consensu ante te omnes, an non sphinge vsi sunt in suis scriptis tradendis, sicut de Augusto Cæsare refert, Suetonius in diplomatibus, libellis & epistolis signãdis. Tu solus Epimetheus ille diuinus. qui mentem cælestem è cælis delatam es mortalibus communicare sponte, dignatus est. Pergas in institutis, te (dignissime Philophorum Pater) obnixè precor, Iucundissimũ, atque maximè optabile, noui futurum omnibus musarum alumnis hoc tuum specilegium, cum illis de rebus tractes quarum non notitiam modo, sed & e

perientiam ab ipsis cunabulis imbibisti; Illis de rebus quibus maiores tui illustres fuerunt ac suspiciendi; Illis de rebus quarum suauitate generosa indoles capi, teneri, expleri solet; Illis de rebus in quibus nihil humile, angustum aut depressũ tantum, quantumcumque est, quod certè maximum est, totum est elegans, subtile magnificum, regale, perfectum ingenio, elaboratum industria.

Fœlices animæ quibus hæc cognoscere primum
Inque domus superas scandere cura fuit,
Credibile est illos pariter vitiisque iocisque,
Altius humanis exeruisse caput.

Videor mihi videre diem illum quo te omnium in ore, sermonibusque volitantem, præclara tua laus editissimo loco, tanquam in theatro virtutis reponet. Regiones multas peragrasti, multos populos diuersorum morum, diuersarum linguarum vidisti, atque vbicumq; terrarum peregrinatus es, illustria præclaræ virtutis vestigia reliquisti, sed tum demum per omnia ora, insignis prædicabe-

re, cum fasciculus tuus in manus venerit alienorum, cuius editionem, magnopere hortor, vt matures, quo familia Philosoephica celerius iuuetur. Me certè habebis & tuarum cupiditate laudum, quarum spem sustines & exspectationem mirabiliter incensum, & earum quibus, te hoc tẽpore stipatum video buccinatorem. Semperque viue. ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις στρατηγῶν.

Reuerentiæ tuæ obseruantissimus,
THOMAS RHODES,
Ecclesiasticus.

Idem in eundem.

Fasciculum dum (digne Sophos) lego fascibus almis,
Dignum, quique faces exprimit ingenij:
Fœlices artes, tantóque videntur alumno,
Tuque potens tanti munere diues abis.



ARTHVRI DEE MEDICINÆ D. FASCICVLVS CHEMICUS, magno ſtudio & labore in ordinem digeſtus, & à nemine alio hac methodo diſtributus.

Quænam ſit Materia Phyſica, & vnde?

CAPVT PRIMVM.



IN rei veritate Materia, ex qua fit hic lapis, eſt tantum vnica, nec poteſt in aliqua alia re hæc propinqua *Petrus Bonus.*

potentia inueniri, & est illud quod magis simile est Auro, est etiam illud, ex quo genitum est, & est Argentum viuum, solum, purum, sine alicuius rei alterius commixtione, & infinitis nominibus velatur, & modus operandi est solum vnus, sed à Philosophis multipliciter variatur, ideo non mirandum si ars sit difficilis, & operatores errent valdè. Ars tamen ex iisdem principiis, aut omninò similibus generat medicinam, ex quibus natura generat metalla. Petrus Bonus, pag. 128.

Componitur Argentum viuum cùm sulphure citrino, ita quòd alterantur, & fiunt idem in vna massa lucida, rubea, ponderosa, ex qua compositione duæ species sufficiunt ad Elixir componendum: qui

ergo cupit huius artis inuestigare ſecreta, cognoſcere oportet primam materiam metallorum; alioquin tuo labore fruſtraberis. Arnoldus libr. de Alchimia, pag. 1.

Ars volens ſequi naturam ad talem finem inquirit, & inuenit hæc principia congelata à natura, in hanc naturam mediam, & non depuratam, & conatur digerere & depurare talẽ materiam cùm calore ignis, vt ex ea eliciat formam auri, cùm qua omnia metalla imperfecta perficiant in aurum, cum ordinata ſint à natura ad hunc finem. Petrus Bonus, pag. 105.

Dicimus quod totum non eſt, Lullius. niſi vna res quæ variatur in numero trium per ſuas operationes, & variando per vnam decoctionem eſt vna res vnius po-

testatis simplicis, & post hoc gradualiter transeundo ad informationem per aliam digestionem erit alia res, quam Argentum viuum appellamus, terram, aquam & fermentum, gummam, & nostram salsaturam secundam, amaram, & asperam, quæ totum corpus soluit virtute composita, & proprietate per secundam digestionem acquisitam. Et post per aliam digestionem habet maius posse. Et sic intelligere potes, quòd in nostro magisterio sunt tres propriæ terræ, tres aquæ, & tria propria fermenta; tres propriæ gummæ, tres salsaturæ, tria argenta viua congelantia, sicut in nostra practica declaratur. Lullij Theorica, pag. 109.

Taululdanus. Eligenda est materia, in qua

eſt Argentum viuum, purum, mundum, clarum, album, & rubeũ, & non ad complementum deductum, ſed cõmiſtum ęqualiter, & proportionaliter per modum debitũ cum ſulphure tali, & in maſſam ſolidã congelata, vt cum ingenio, & prudẽtia noſtra, igneq; noſtro artifiiciali ad munditiem ſuam intimam peruenire poſſimus, quòd ipſa poſt operis cõplementum ſit mille milleſies fortior, quã corpora ſimplicia caliditate naturali decocta. Taulada. p. 314.

Si ſulphur & Mercurium haberemus de illa materia ſuper terram, de qua Aurũ & Argentũ fiunt ſub terra, benè poterimus Aurum & Argentum de illis facere cum proprietate ſuæ naturæ. Nihil ergò conuenit rei, niſi quod propinquum *Lullius.*

est ei ex sua natura. Mercurius est idem in omnibus substantiis elementatis, vnus, & idem, qui quidem Mercurius est calor naturalis, qui producit tàm vegetabilia, quàm mineralia, licet aliter ad præceptum naturæ, & sic Mercurius noster nunquam est visibilis, sed tantum intelligibilis, & sic patet, quòd est in omni re, & in omni loco, hinc omnibus communis. Lullij Codicillus, p. 131.

Flamellus. In nostro lapide, sunt Sol, & Luna viui, aliosque Soles, & Lunas gignere possunt, aliud aurum, & argentum ad hæc sunt mortua. Flamelli Annotationes, pag. 138.

Rosar. Philos. Lapis Philosophorum inuenitur creatus à natura, & Mercurius noster, id est Materia, in qua continetur Mercurius Phi-

losophorum est ille, quem natura paululùm operata est, & in metallicam formam formauit, tamen imperfectum reliquit. Ros. Philos. pag. 231.

Bufonem vidi rubrum, tamdiù succum vuarum bibentem, vsque dum viscera sua perrupta fuere. Riplei Somnium. *Ripleus.*

Ars sequens naturam non recipiet argentum viuum solum, nec sulphur solum, nec argentum viuum, & sulphur coniunctim, sed eandem Materiam commixtam, & ex iisdem principiis compositam, quam natura præparauit arti, sicut filiæ prouida mater, & coniunxit à principio generationis metallorum, non secus ac in lacte butyrum, caseum, & serum. Sed postea ars eandem separat, & sequestrat, purgatamque de- *Vogel.*

nuo coniungit & digerit, calore tantum extinſeco adhibito, & natura intrinſecus operante, donec ſulphur iſtud extremum ab argento viuo ſeparetur. Vogelius, pag. 105.

Baſilius. Ex teipſo quæras, ad quid lapidem noſtrum deducere coneris tum manifeſtum tibi erit quòd ex nulla re, niſi ex metallica quadam radice, vnde & ipſa metalla à creatore ordinata ſunt, profluit. Baſilius Valentinus, pag. 15.

Clãgor. Cùm dico aqua Mercurialis, noli intelligere Mercurium crudum, ſed Mercurium Philoſophorum, rubeæ ſubſtantiæ, extractum à mineris, in ſe habentibus materiam, de ſulphure & Mercurio, & iſtud Argentum viuum, & ſulphur, eſt vna res, & de vna re exit.

Dealbate ergò latonem id eſt æs cum Mercurio quia laton, eſt ex Sole & Luna, compoſitum corpus imperfectum citrinum, quod cùm dealbaueris, &c. Clangor Buccinæ, p. 503. 470.

Philoſophorum Aurum, & Argentum, ſunt duæ præcipuæ tincturæ rubra, & alba, in vno eodemq; corpore ſepultæ, quæ à natura nunquam peruenerũt ad perfectum cõplementum, ſeparabiles tamen ſunt à ſcoria accidentali, & terreſtri lutoſitate, & deinde propriis qualitatibus, terris puris, rubeæ, & albę, ita commixtibiles iiſdemque aptiſſima habentur fermenta, vt nullo modò indigere dicantur alieno. De hoc ipſo corpore materia huius lapidis tria potiſſimũ dicuntur: ſcilicet *Dunſta.*

quòd ſit leo viridis, Aſſafætida & fumus albus: hoc verò infertur à Philoſophis, ex compoſito, vt ſtultis ſecundum propriam ipſorum ſtultitiam reſponderent, illoſque multitudine, & diuerſitate nominis hallucinarent, tu verò ſemper intellige vnum, & realiter ſignificari, quamuis ita accidentaliter, tria dicantur. Nam leo viridis, Aſſafætida, & fumus albus de vno eodemque prædicantur ſubiecto in quo omnino, & ſemper latent, donec arte manifeſta fiant. Per leonem viridem ab omnibus quibuſcunque Philoſophis intelligitur aurum viride multiplicabile, ſpermaticum, quod à natura adhuc incompletum eſt, poteſtatem habens reducendi corpora in primam materiam, &

efficiendi fixa ſpiritualia & fugitiua, & propterea meritò appellatur leo. Per Aſſafætidam, intelligimus odorem quendam fætidum, ex corpore immundo in prima diſtillatione exhalantem, qui aſſimilatur, per omnia Aſſæfætidæ fætenti. Ratio quia appellatur fumus albus eſt hæc, in prima diſtillatione priuſquam aſcenderit rubra tinctura, exſurgit fumus verè albus, ex quo inſpiſſatur recipiens lactea quadam vmbra vnde accipit nomẽ lactis virginei, Vbicunque igitur notabis ſubſtantiam his tribus proprietatibus dotatam: Nota ipſam eſſe lapidis iſtius Philoſophorum materiam. Dunſtan. pag. 3.

Recipiamus ergo materiam vnde erit aurum, & mediante noſtro artificio deducitur in *Clangor Buccina.*

verum fermentum. Clangor. pag. 510.

Rosar. Philos. Materia metallorum est quædam substantia fumosa, prima metallorum materia cõtinens in se humiditatem vnctuosam à qua substãtia, artifex separet humiditatem Philosophicalem, quæ apta est pro opere, quæ erit tam clara sicut lachryma, in qua habitat quintessentia metallica & illa est metallum placabile, & inest medium coniungendi tincturas ideo, quia habet naturam sulphuris, & argenti viui. Rosarius Philosophorum, pag. 278.

Dastin. Res cuius caput est rubeum, pedes albi, oculi verò nigri est totum magisterium. Dastini visio, pag. 2.

Morien. Scitote nostrum latonem esse rubeum sed inutile nobis

eſt, vſque dum albus fiat. Morienus, pag. 38.

Quando voles habere mineralia elementa non accipias de primis, nec de vltimis, quia prima ſunt multum, imò nimis ſimplicia, vltima verò nimis groſſa. Quando fames tibi aduenict, accipe panem, demitte farinam. Quando voles facere panem, farinam accipe, demitte ſpicam. Lullij theorica, pag. 34.

Eximides. Eſt materia pura, quæ eſt materia aun, continens in ſe calorem, qui dat incrementum, & ſua vi habet creſcere, & multiplicare, in ſua ſpecie, ſicut aliæ res omnes. Eximides, pag. 45.

Arnold. In metallo noſtro imperfecto ſunt Sol & Luna in virtute, & potentia propinqua, quia ſi non eſſent in ipſo

composito, non fierent in de neque Sol, neque Luna. Arnoldi Epistola, pag. 491.

Mercurius est in omnibus substantiis elementatis, vnus & idem, qui quidem Mercurius, est calor naturalis, qui producit tàm mineralia, quàm vegetabilia, licet aliter, ad præceptum naturæ, & sic Mercurius noster, nunquam est visibilis sed tantum intelligibilis, & sic patet quod est in omni re, & in omni loco, hinc omnibus communis est. Lullij Codic. f. 134.

COROLLARIVM.

TEstante Vogelio, Treuisano, & diuersis aliis Philosophis, attentè consideran-

dum, in quo puncto authores maximè conueniant, illic namque affirmant veritatem latêre, eamque vnicam esse tantùm, & simplicem. Hoc igitur in mente reuoluenti, ex his recitatis authoribus selectissimis, illorũque harmonia, annuente numine diuino; Subiectum omnis mirabilitatis (vt meritò appellatur à Cornelio Agrippa) vnicuique intelligenti apertis, & nudis detegitur verbis; Substantia, Forma, Colore, omnibusque necessariis circumstantiis & accidentibus, adeo vt, ab omnibus promulgetur viuũ esse argentum, vel argentum volatile, vegetabilitatem quandam retinens, cum adhuc sit in motu, nec ad maturitatem, vel terminum præfinitum naturalis decoctionis in

mineris productum. Idemque Argentum viuum immaturum (non vulgi maturum) quod proximum metallo in potentia est, ideoque à nonnullis metallum appellatur immaturum secundũ Arnoldum, Ripleum, Dastinum Morienum, & clangorem Buccinæ, colore rubeo vestitum, à natura nobis oblatum est, quòd si non debito tempore ab artifice à sua radice decerpatur, priusquam scilicet ad talem maturitatem peruenerit, quod vel metalli granum vnicum in se malleabile contineat ad opus erit nostrum inidoneum. Hoc igitur Philosophicum Embrion, loco debito, in sua immaturitate maturum, quærite, & inuenietis vti dicitur in Rosario, lapis noster inuenitur creatus à natura.

i scult Dit vindestu in autētica· also voer
uē is· et in codice de inofficioso testamēto

Hoe dat die rechters rechten sullen

yemant diemen mytter hantichtygher L. I ar
daet begrÿpt die salmen voer dat ghe- LXVI
t brenghen eñ hem te vonnes setten ende
ten Alsoe salmen oec een vernesten man
ie die in des keysers achte met name ghe
sÿn· ende die daet myt seuen mannen be
iet waer Item een hantachtich dat is die Gl. ibid.
sche daet diemen te hant beclaget· die sal
te hant rechten· eñ niet verborghen la-
So wie sÿn lÿf of voet of hant losset dz hi L. I. ar.
oert heuet die is rechteloes· Ut digestis LXV
is q̄ notātur infamia lege p̄ma pag̃ qui
s Welc rechter doer haet of doer ghiften Gl. L. I. ar
rs recht dan van recht behoert ouer den LXIX.
ter soe sal dat recht gaen het si aen rech-
ie ofte verlossinge Dit staet in libro secū
ticulo xiij° pag̃ codicis· Ende doedestu

paratum. Senior. pag. 31.

Dastin. Si non præcesserit opus primum, quomodo deuenitur ad secundum, quia si nulla fit diuisio, nulla fit coniunctio. Dastini Speculum, pag. 56.

Arnold. A separatione elementorum ab ista terra rubra incipiendum est, sicut purum ab impuro. Arnoldus in Hortulanum, pag. 9.

Pandol. Sedulo considerandum, per quid fiat hæc dissolutio, & certè scias, quod non fit nisi per aquam Mercurij, scitoque quod omne corpus dissoluitur, cum spiritu cui mixtum est, & fit procul-dubio spirituale. Pandolphus in Turb. pag. 16.

Lullius. Fili veritatis intellige, quod nos in prima operatione nostræ artis purgamus, & præparamus materiam pro sui sulphuris

creatione: Qua præparata, modo in ſecunda præparatione componimus, & creamus medicinam, quæ habet tantam virtutem, vt patebit. Ideo primum creare debes ſuum ſulphur, quia ſine eo non potes facere Elixir completum. Et quando creaſti ſulphur, tunc incipit opus Philoſophicum. Omni tempore tamen conſiderandum, quod natura, & proprietas, quæ eſt in ipſo ſpiritu, non ſit combuſta in præparatione eius per potentiam ignis: quia tunc ſpiritus non habet potentiam albificandi, aut ſe coniungendi cum terra. Ideo ſæpe accidit, quod iſti qui credunt facere aquam vitæ, faciunt aquam mortis combuſtionis cauſa. Lullij Apertoriū, pag. 2.

Arnold. Vasibus sic dispositis, ascendet fumus subtilissimus in alembico, & ibidem conuertetur in aquam lapis claram, habentem naturam specierum, ex quibus generatur, quæ aqua descendit per nasum alembici, & Arnoldus in Comment. Hortulani, pag. 16.

Lullius. Phlegma in quo decoquitur sulphur nostrum, quod dicitur aurum, istud est in quo includitur aer. Est enim phlegma nostrum substantia, & aqua Mercurij prima, in qua principium lapidis est, scilicet dissolutio eius, nec intrat cùm eo, nisi tanquam humectans partes rerum, non generans, vel augens. Lullij Reptor. pag. 1.

Lullius. Oportet te præparare illam, donec apta sit, ad recipiendum nostrum Mercurium, quem

Mercurium glorioſum appella-
mus. Et modus eſt, quòd tu ac-
cipias pondus dictæ terræ, &
ponas deſuper quartam partem
dicti menſtrui, in quo eſt talis
Mercurius, & ponas in Balneo
per ſex dies, & diſtilla, & ſic cō-
tinua, quouſque terra ſit diſpo-
ſita ad amplectendā animam,
quod prima nec ſecunda vice
fiet, pone ergò iterum, atque
iterum in Balneo per ſex dies
in vitro optimè ſigillato, poſteà
aperi vas, & lentiſſimo igne ſu-
perpoſito alembico humidita-
tem diſtilla, & iterum pone de
menſtruo tuo, in quo eſt ſemen
ſuum, & digere, vt ſuprà, & ſic
cōtinua, quouſque terra ſit diſ-
poſita ad amplectendam ani-
mam ſuā. Fili ſignum eſt, quan-
do biberit, & retinuerit qua-
tuor partes plus ſui ponderis,

quod si super laminam auri, vel argenti ignitam modicum pones, totum euolabit in fumum. Tunc terra prægnans est, & præparata, quæ debet sublimari. Lullij Testam. p. 15.

Rosar. Philos. Primo eleuanda est cum igne proportionali tota humiditas superflua, & corrupta in illorum essentia, etiamque superfluitas subtilis, & comburens, & hoc calcinando. Deinde totalis substantia remanens corrupta in illorum calce superfluæ humiditatis comburentis, & nigredinis corrodenda, cum his prædictis mundatis corrosiuis, acutis, seu acerbis, donec calx fiat alba, siue rubea. Rosar. Philosoph. pag. 345.

Scala. Mercurius noster fit ex corporibus perfectis, & non imperfectis, hoc est cum aqua se-

cunda, poſtquam per primam aquam fuerint debitè calcinata. Scala, pag. 128.

Oportet te extrahere vnam aquam viuam incombuſtibilem, deinde illam congelare, cum corpore perfecto Solis, quod inibi diſſoluitur in naturam, & ſubſtantiam albam congelatam, ac ſi eſſet cremor, & totum veniret album. Sed prius Sol iſte in ſua putrefactione, & reſolutione in hac aqua in principio amittit lumen ſuum, obſcurabitur, & nigreſcit, demum eleuabit ſe ſuper aquam, & paulatim illi albus ſupernatabit color, & ſic corpus perfectum Solis accipit vitam, & in tali aqua viuificatur, inſpiratur, creſcit, & multiplicatur in ſua ſpecie, ſicut cæteræ res. Noſtra igitur Aqua, *Artephi.*

est fons pulcher, amœnus, & clarus, præparatus solummodo pro Rege, & Regina, quos ipse optimè cognouit, & hi illum; nam ipsos ad se attrahit & illi ad se lauandum in illo fonte remanent duos aut tres dies, id est menses, & hos iuuenescere facit, & reddit formosos.

Hæc tria se mutuò consequuntur scilicet humiditas, putredo, nigredo, vnde collocetur domus vitrea, & subtiliter scituetur, quousque materia inclusa, humida, paulatim eueniat putrida, & nigra; Incipit enim putrefactio à principio simul cum solutione, sed nondum est completa putrefactio, quousque materia tota in aquā sit soluta. Artephius, pag. 9.

Bastin. Vnum contrariorum excedens destruit reliquum, vnde

terra

terra fit aqua, cùm vicerint eam aquæ qualitates, & è conuerſo. Hac aqua, oportet elicere tria, videlicet ſpiritum, corpus, & animam, vnde hæc aqua triplex eſt, in natura quæ habet in ſe aquam, ignem, & terram. Lapidem ſolutum in Elementis diuidimus, & ſingulariter abluimus, vt magis ſubtilietur, & meliùs depuretur, & vt ad libitum complexio firmiùs componatur, pluries autem diſtillamus, vt aqua, & aer ſint munda ſine fæcibus, leuia ſine ſordibus, pura ſine contrariis, tunc enim abluunt faciliùs, tangunt vberiùs & operantur nobiliùs. Nam ars taliter, vt dicit Ariſtoteles, eiicit ſuperflua, à ſuo opere ſimiliter & natura. Ignis namque extrahit, quod in interioribus rerum exiſtit, &

comedit sulphureitatem ipsarum, subtilians, & rarescens ad volitum. Et ideò ipsa distillamus, vt suas sordes suauiter extrahamus. Suauiter autem, & cum inhumatione id facimus, ne ignis excessus, subtilitates comburat quæsitas , vnde in omni distillatione hoc signum attende, vt vniuersaliter candor insit, & quæcunque emanant incommixta, seorsim repone, quoniam corruptum est opus, si aliter feceris. Tantum ergò distillamus, quousque nullas dimittat fæces, nisi fortè albas, & hoc iteramus septies, vt sua simpla puritate, septem planetarum ordines transcēdant. Nam purissima, & mundissima conuenit ea esse, quæ sua puritate, alia mundare debeant, & perficere. Et secundùm distil-

lationis quātitatem erunt clara, ac ſecundùm claritatis pluralitatem mundent, & tingent alia. Vnde ſepties debet diſtillari, quòd ampliùs eſt, malum eſt. Quia quemadmodum diminutio obeſt, ita augmentum corrumpit.

In quarta diſtillatione ſequitur lauamentum, vt omne ſuum Elementum rectificetur ad partem, vnde aquam, & aerem per ſe ſepties diſtillamus. Cùm humore autem omnia diſtillabis, quoniam combuſtione ſiccitas, hoc opus corrumpit. Et præcipiunt Philoſophi omnem diſtillationem cum inhumatione ſeptem dierum ſemper eſſe faciendam, volentes inter quamlibet diſtillationem fieri inhumationem ſe-

ptem dierum. Dastinus in speculi, pag. 96.

Rosar. Arnold. Oportet te pro posse tuo separationem elementorum exercere. Aquam, & aerem abluere distillatione, & terram comburere calcinatione, quousque non remaneat in corpore aliquid, de anima, nisi quod non sentiatur in operatione, cuius signum erit, cùm nihil à corpore euaporabitur, si de eo parùm laminæ ignitæ fuerit superpositum. Rosar. Arnoldi, pag. 418.

Massa Solis & Lunæ. Sicut infans in nouem mensibus omnes flatus aereos exhaurit, & menstruum conuersum est in lacteam formam, ita in nouem mensibus conficitur primum opus, scilicet albedo secunda, quia totum coagulatur, opus tamen so-

luitur circa ſex menſes ſecundum authoris experientiam ſed ſecundum Balgum inturba iñ 180. diebus. Maſſa Solis & Lunæ, pag. 275.

Non dimittatur aqua ſtare, quando operationi apta ſit, quia coagulum eius capit in fundum, coagulatum per frigidum aeris, & ſiccum congelans: quòd cuidam ſociorum meorum contigit qui per annum ſic inuenit: ſed non fuit diſtillata. Maſſa Solis & Lunæ, pag. 274.

Nulla ſolutio fieri debet niſi in ſanguine proprio, vel appropriato, id eſt aqua Mercurij, quæ dicitur cauda draconis, & illa aqua debet fieri per alembicum ſine omni alia re addita. Roſar. Philoſoph. pag. 223. *Roſar. Philoſ.*

Raimũdus. Lullius. Totus curſus operis durat per tempus duorum annorum, vnde lapis eſt vnius anni, & Elixir alterius, omni nouo artifici, qui nunquam fecit, ſed omni bono experto, qui eſt ſubtilis, habetur vnus annus, & tres menſes. *Quia ſecundùm quod corrumpitur, ſimiliter generatur.* Lullij Theorica, pag. 76.

Ventura, 129. Accomoda benè ignem in furno, & fac quod tota materia ſoluatur in aquam, deinde rege lento igne, donec maior pars ſit verſa in puluerem nigrum. Quia quando lapis noſter eſt in vaſe noſtro, & materia noſtra ſentit ſolem noſtrum, ſtatim ſoluetur in aquam. Ventura, pag. 129.

Roſar. Putrefactio fit igne lentiſſimo, ita quod nihil aſcendat, quia ſi aliquid aſcenderet, fie-

ret ſeparatio partium, quæ fieri non debet, donec maſculus, & fæmina ſint perfectè coniuncti. Roſar. Philoſ. p. 261.

Putrefactionem impediunt (vt dicit Ariſtoteles,) frigiditas aeris circumueniens; ſoliditas terræ conſtringens, caliditas ignis diſſoluens, impetuoſitas aquæ, motus non quieſcens. Et quantitas multitudinis excedens. Daſtin.

Neceſſario autem putrefactionem accelerant, & inducunt aeris caliditas, rerum ſubtilitas, ignis lenitas, quietis ſtabilitas, mixtorum æqualitas, patientiæ grauitas, & temporis maturitas. Ita tamen, quod aer temperetur, denſum ſubtilietur, ignis refrænetur, quies ſeruetur, proportio adequætur, patientia roboretur, & tempus

præstoletur, quousque natura naturaliter procedens suum compleuerit opus summum. Dastini spec. pag. 184.

Scala. Aqua nostra diuidenda est in duas partes, quarum vna parte, corpus congelatur, scilicet cum septem imbibitionibus, & congelationibus, altera verò parte putrefacit, & liquescit, vt aqua ignea supradicta euomatur. Scala Philosoph, pag. 151.

Si ad statum rubeum finalem ante terminum albedinis debitum in administrãdo opus diducitur, corruptione, errasti, quod absit, tunc pro remedio aufer rubedinem cum aqua alba recenti, imbibendo & inhumando. Idem.

Lullius. Tres sunt humiditates. Prima est Aqua, secunda est aer, medium inter aquã, & oleum,

tertia eſt oleum ipſum. Aqua diſtillatur ad perfectæ albedinis ſignum, quod eſt ſplendor tranſparens, & fulgens chriſtallini ſerenitas. Et qui ad hoc ſignum peruenit, Mercurium habet Philoſophorum omnia corpora diſſoluentem, præcipuè Solis & Lunæ, ob naturæ vicinitatē. Lullij Codic. p. 119.

In noſtro magiſterio toto neceſſarij ſunt tres ſpiritus, principales, qui ſine conſummatione ſuæ reſolutionis non poſſunt manifeſtari, & nominantur alio modo tria Argenta viua, & pro argento viuo intellige aquam, in qua deportatur tinctura. Raimundi Theorica, pag. 122. 24. *Lullius.*

Si me audietis, ego reuera docebo, quis ſit ille Mercurius tibi maximè vtilis. *Riplens.*

Scias ergò Mercurios esse tres, qui sunt claues scientiæ, quos Raimundus sua menstrua vocat, sine quibus nihil fit rectè, sed duo istorum sunt superficiales, tertius essentialis, Solis, & Lunæ, corpora perfecta cum primò calcinamus naturaliter, sed nullum corpus immundum ingreditur excepto vno, quòd vulganter à Philosophis Leo viridis appellatur, quod est medium coniungendi tincturas. Cum secundo, quod est humiditas vegetabilis, ambo principalia, materialia, & formalia solui debent alioqui parui essent momenti. Cum tertiò, quod est humiditas maximè permanens incombustibilis, & vnctuosa Hermetis arbor in cineres comburitur. Ripleus, pag. 25.

Tres ſunt ſolutiones filij Sapientiæ. Prima eſt crudi corporis: Secunda eſt terræ Philoſophicæ: Tertiam in augmentatione ponimus. Virgo eſt Mercurius, quia nunquam in ventre terræ aliquod corpus propagauit, & tamen nobis lapidem generat ſoluendo cælum, hoc eſt aurum aperit, educitque animam. Incertus de Chemia, pag. 6. *Incert.*

Metalla reducuntur ad primam materiam, quando rediguntur ad illam primam ſimplicitatem, quam habuerunt elementa eorum in prima compoſitione, in qua certè fuere ſpiritus & vapores per naturam perfectibiles, ad compoſiti formam. Ventura, pag. 12. *Vẽtura.*

Per argentum viuum, intelligitur humiditas illius mixtio- *Ludus puerorũ.*

nis, quæ eſt humiditas radicalis lapidis noſtri. Ludus puerorum, pag. 174.

Vogel. Præparatio ſpiritus huius eſt ipſius ſubtiliatio, quæ per multas diſtillationes perficitur, donec ſplendorem, & chriſtallinam conſecutus ſit ſerenitatem. Vogel. pag. 148.

Ariſt. Aquam rectificatam ſerua ad partem, quoniam ipſa eſt Mercurius Philoſophorum, aqua vitæ abluens latonem. Ariſtoteles, pag. 366.

Lullij Compendiū. Totus labor, & fatigatio eſt in hoc, ſcilicet elementorum, & ſulphuris ſeparatione. Aer à metallis diuidi non poteſt, niſi vigeſima, vel vigeſima ſecunda diſtillatione, vel trigeſima: & ignis à terra diuidi poteſt vndecima diſtillatione, & quot ſunt diſtillationes, tot

ſunt putrefactiones, & reiterationes aquæ, & aeris ſimul, ſcilicet aquæ noſtræ menſtrualis, & in qualibet putrefactione octo indiget diebus, aut ſex continuis, ita quod per annum durat diuiſio elementorum; ſed nos compleuimus in ſeptem menſibus. Lullij compendium, pag. 281.

Alchimiſtæ dixerunt, quod lapis componitur ex duabus aquis, ex vna ſcilicet, quæ lapidem facit volatilem, & altera, quæ ipſum fixat, & indurat. Idem.

Omni vice poſt calcinationem terræ ſuperfunde aquam temperate, videlicet non multum, nec parum, quia ſi multum, fit pelagus pertur- *Auicenna.*

bationis: si parum, combure-
tur in fauillam. Sed suauiter, &
non festinanter, de octo in octo
diebus, terram irrigando, deco-
quendo, & calcinando, donec
biberit aquam suam. Idcircò
cùm terra non fuerit alba, tere
eam, cum aqua sua, & iterato,
calcina, quia Aroc, & ignis ter-
ram abluunt, & obscuritatem
eius ab ea abripiunt. Nam præ-
paratio eius est cùm aqua sem-
per, & qualis aptitudo aquæ,
talis & erit limpitudo terræ, &
quanto magis erit terra alba,
&c. Auicenna, pag. 420.

Scala. Qui ignorat ex vno plura ex-
trahere, ignorat quoque ex
pluribus, vnum componere.
Nostra separatio est vaporis
aquosi, siue liquorosi, siue phle-
gmatis in balneis separatio, ra-
ritatis leuigatio, principiorum

productio. Scala, pag. 134.

Corpus, ſeu calcem multoties imbibe, vt poſſit deinde ſublimari, & magis adhuc purgari, quàm antea, quia calx ſurſum, omninò non, aut difficulter aſcendit niſi ſpiritu adiuta. Geber. libr. ſummæ perfectionis, pag. 573. *Geber.*

Vaſe in furno aptè poſito, continuetur ignis ſubtus, tunc vapor materiæ aſcēdet in alembicum ſurſum, ſubtiliſſimè, & conuertetur ibidem in aquam ſerenam, limpidam, & claram, habentem lachrymæ formam, & naturam omnium ſpecierum, à quibus generatur, & deſcendit rurſum per roſtrum cornicis, id eſt collum vaſis alembici. Et hæc aqua quia ſubtilis eſt, ingreditur corpus, & extrahit primò, animam de- *Vetura.*

inde reliquum totum dissoluit, & in aquam conuertit. Præterea sciendum, quòd omnia quæ sublimantur, duobus modis sublimantur, quædam per se, & quædam cum aliis, Mercurius autem, cum sit spiritus, per se sublimatur, terra autem nostra, cum sit calx corporis, non sublimatur nisi incorporata optimè cum Mercurio. Contere ergo, & imbibe, donec fiat vnum corpus, quia corpus non ascendit, nisi incorporetur cum Mercurio. Ventura, pag. 141.

Aurum, & Argentum dissolue in aqua sui generis, si illam noueris. Vogelius, pag. 78.

Vogel. Massa Solis & Lunæ. Et hæc est vltima præparatio scilicet spirituum, cum corpore suo, cum contritione, & assatione multipliciter iteratis donec videas illa, quæ quæris in ea.

Maſſ. Solis & Lunæ, p. 240.

Doctrinæ filij ſcitote quod totum opus, & regimen non fit niſi aqua, cui commiſcete Magneſiæ corpus, & vaſi ſuo imponite, & os diligenter claudite, ac leui coquite igne, quouſque liquefiat, calore enim aquæ facile totum aqua fiet. Afflictes in Turba, pag. 32. *Afflictes.*

COROLLARIVM.

EX maſſa quadam minerali, coagulata, lucida, rubea, ponderoſa, metallo perfecto, in proxima potentia, ſulphur viuum ſpermaticum, & Mercurium viuum immaturum, multiplicabilem in ſe continente. Elicitur igne lentiſſimo balnei aqua quædam inſipida, phlegmatica, quæ

ſi debita proportione terræ ite-rum reaffundatur, debitoque tempore digeratur, & abſtra-hatur, indies paulatim (magis, tamen, magiſque) corpus ſol-uendo reliqua ſimiliter ſoluit elementa, & aerem in ſe inclu-dendo, per alembicum diſtil-lando euehit, aqua & aer viciſ-ſim aliquoties reaffundi, dige-ri, & abſtrahi debeant, donec corpus omninò ſoluatur, repe-titis diſtillationibus, & inhu-mationibus. Deinde poſt quar-tam diſtillationem ſeparandus eſt aer ab aqua, & per ſe ſepties rectificandus, cùm quo ignem poſtea à terra nigra abſtrahe, denique ignem ab aere ſepara. Aereque tandem toties terram ſiccam à ſua humiditate priua-tam imbibendo impregna, do-nec tenebris lux oriatur, &

oculis noſtris appareat infans noſter, à magis multis lucubrationibus exſpectatus, qui tandem diademate coronatur Rex Regum, cuius ortum ſub Ænigmate Solis orientis in Luna creſcente adorant Philoſophi. Ipſo autem puncto coagulationis, quæ infrigidatione perficitur opus Hyemis, & occultæ præparationis, vnico ore finiri aſſerunt omnes. Et tum incipit opus ſecundum, & verè Philoſophicum, vti his explicuit verbis Angelus noſter Nortunus Philoſophus eximius. Opus inquit Philoſophicum, ſuum non aſſumit principium, priuſquam omne ſit mundum, intus, & externum. Et ſecundùm Artamanum. Opus ſecundum non fit niſi à mundato, & abluto corpore. *Turba, p. 60.*

Hancque præparationem, siue opus primum laborem appellat sordidum, & litterato indignũ iudicat, ideò non immeritò opus dicitur mulierum. Sed dulcia non meruit qui non gustauit amara, & qui hanc absconditam, laboriosamque pręparationem vel ignorant, vel negligent, nec artis fructuum, neque ipsius finem attingent optatum.

Praxis vero formam, qui ex his perspicuè non intellexerit, vlteriùs opem petat à Raimundo Lullio, Ripleo, Rosario, vnde copiose expiscari liceat, præsertim dum ex illorum scriptis, in hoc capitulo, Semita Semitæ succinctè, vbi illi sparsim, & occultè tradiderunt, elucidatur.

Pondus in Præparatione.

CAPVT III.



I ipſius ponderis quantitatem neſcieris ſcientiæ omninò doctrina carebis. Ne obliuiſcaris ergo; Quicquid debet ſoluere, debet in quantitate ſoluendũ excedere. *Daſtin.*

Prima autem pars aquæ ſecundum Philoſophos debet terram ſoluere, ad ſeque conuertere. Vnde dicunt aquam eſſe diuidendam, vt cum prima parte ſoluatur 40. diebus putrefiat, & comburatur, quouſque in lapidem conuertatur, ergo oportet ipſam aquam excedere terrã. Daſt. ſpec. p. 208.

Cùm ſoluis, ſpiritus excedere corpus debebit & cùm figis, corpus excedere ſpiritum debet, nam ideò eſt ſpiritus, vt ſoluat corpus, & ideò eſt corpus, vt figatur ſpiritus: Tres ergò tertias de humido, & vnum de ſicco debes imponere: in principio enim operis tui adiuua opus in ſolutione per Lunam, & in coagulatione per Solem. Idem, pag. 96. 98,

Maſſa Solis & Lunæ. Aliud eſt pondus ſingulare, ſeu plurale, & eſt duplex, primum eſt primi operis, & illud eſt in compoſitione æris, & eſt diuerſum ſecundùm diuerſos. Iam aliud pondus eſt ſpirituale ſecundi operis, & illud eſt diuerſum ſecundum diuerſos. Maſſa Solis & Lunæ, pag. 177.

Daſtin. p. 212. Dico quod aqua in tres tertias eſt primò dicenda, quarum

prima, eſt ad terram impregnandam, terminandam, atque dealbandam, duæ autem aliæ tertiæ reſeruantur ad rubificandam terram albam incerandam, & vltimò dealbandam. Nulla tamen tertia, vt dicit Democritus ſuper magneſiam, ingreditur tota ſimul, ſed quælibet tertiarum, in aliam diuiditur tertiam, vt ſic nouem tertię redeuntes, ad vnam terram numerum decenarium compleant perfectum. Verum tres primæ tertiæ ſunt tres primæ ſalſaturæ, ad primam dealbationem peragendam, ſex verò reſiduæ tertiæ ſunt ſex partes aquæ diuinæ ad ſecundam dealbationem conſumendam. Nulla tamen iſtarum tertiarum ſimul, & ſemel totum ingreditur, ſed vnaquæque pars

ipsarum, vna post aliam singulariter imponitur, suo in tempore, suo in opere, & suo in ordine. Dastin. spec. pag. 177.

Paruus error in principiis, magnum causat errorem in principiatis; Ideò vt non erres in primo opere, & secundo, æqualia imponere semper præcepimus, sic enim in ambobus vigebit æqualitas, vt terra desinet, quantum aqua humectet, quantum terra desinet. Idem, pag. 222.

Ripleus. Quod ad proportionem attinet, oportet te attendere, nam in hac multi decepti sunt, itaque ne opus tuum corrumpas, sint tua corpora, subtiliter limata cum Mercurio, tum æquali proportione subtiliata: vnum Solis, duo Lunæ, donec hæc omnia in pultem redigantur, tunc

tunc fac tuum Mercurium, cuius quatuor partes Soli, duas Lunæ iungas, vt deceat, atque hoc modo opus incipias oportet in figura trinitatis. Tres partes corporis, & ſpiritus totidem, & pro vnitate partis ſpiritualis vna pars ampliùs ſpiritus, quam ſubſtantiæ corporalis. Iuxta Raimundi repertorium hæc eſt vera proportio; Hoc ipſum meus Doctor mihi oſtendit, ſed tres de ſpiritu Bacho ſumpſit pro vna parte corporis, pro quo vigilaui multas noctes, antequam illud percepi, vtrumque verum eſt, ſume tibi, quod libuerit. Si etiam aqua tua æqualis fuerit in proportione, cum terra, calore menſurato, emerget nouum germen ſimul album, & Ru-

beum. Ripleus, pag 30.

Turba. Accipe gummæ candidiſſimæ partem vnam, & vrinæ vituli albi partem aliam, & de felle piſcis partem, & de corpore gummi, ſine quo emendari non poteſt, partem vnam, & decoquito per 40 dies, poſtea in calido Sole deſiccato, donec congeletur. Mundus, p. 88.

Accipe filium tuum chariſſimum, & ſorori ſuæ albæ æqualiter coniunge, propina illis poculum amoris, quia beneuolentiæ conſenſus res rebus adiungit. Superfunde illis mulſum, donec inebrientur, & in partes minimas diuidantur. Verumtamen memoriter teneas quod omnia munda mundis conueniant, alioqui ſibi filios generant diſſimiles. Ariſtoteles in tractulo, pag. 362.

Reſpice præparationem primam eius, & cogita hanc, quæ eſt ſpirituum extractio omnium de corpore, & ipſorum mundificatio in aqua ſua. Maſſa Solis & Lunæ, pag. 240. *Maſſa Solis & Luna.*

Tres tertias de humido, & vnam de ſicco debes imponere, in principio enim operis tui adiuua opus in ſolutione per Lunam, & congelationem per ſolem. Daſtini ſpeculũ, pag. 98.

COROLLARIVM.

BErnardus Treriſanus Comes Deo votum præſtitit ſe nunquam nudis verbis, aut vulgato ſermone pondus, materiam, aut calores expoſiturum, at ſolum parabolis veris, abſque diminutione aut ſuper-

ſtuitate ad imitationem Sapientum, vt in hoc capitulo inter reliquos, à Ripleo noſtro Anglo obſcura ſatis traduntur. Sed verò cautulus artifex ſecũ ruminare, vel perpendere debet quod quæcunque nominantur in ponderis compoſitione, ſemper tantummodo, de duobus intelligi debere, ſcilicet de aqua, & terra: quæ aliquando ſub ſpiritu, & corpore, aliquando ſub Mercurio, Sole, & Luna, aliquando ſub ære, & veneno, imo tot infinitis aliis nominibus velantur, quot & ipſa materia prima. Sed vt in rectam ſemitam quærentes dirigantur, & Riplei nebulæ Solis diſpergantur radiis, proportiones quas diſpoſuit, ſuis hiſce attendamus verbis. Sint inquit, corpora limata, cum

Mercurij æquali proportione, vnde intelligendum quod terræ & aquæ æqua ſit proportio, deinde vlteriùs progreditur, & vnum præcipit Solis cum duobus Lunæ coniungi: Quibus ſubintelliguntur aquæ partes duæ ad vnam terræ partem.

Vlteriùs etiam progreditur, & Mercurij quatuor partes Soli, duas Lunæ coniungit, vnde obſeruandum quod quatuor, & duo faciunt ſex partes, Mercurij, aquæ, vel ignis, quæ commiſcendæ ſunt cum vna parte Solis, & altera Lunæ: quæ dum duas conſtituunt partes terræ, ad prædictas ſcilicet aquæ partes ſex, conſimilis erit proportio, vt vna pars terræ, ad tres partes aquæ. Vt appa-

ret ex ſequentibus ſuis verbis; ſcilicet hoc modo opus tuum incipias in figura trinitatis: & hac claui reliqua ſua in hoc capitulo reſerantur ponderis ægnigmata. Vnde etiam aliorum Philoſophorum reſerantur parabolæ, dum liber librum aperit, & vix veritas ſine velo ab illis depingitur. Similia namque ſemper tradunt, veritatem tacent, vt eſſe, & dici mereantur eſſe Philoſophi.

Cùm vero numero, põdere, & menſura omnia corpora elementata Animalium, Vegetabilium, ac Mineralium, naturaliter ſint vnita, ligata, concatenata, & compoſita, horumque harmonia, omnia principia principiata perfectionem attingunt à Deo ordinatam, ac per naturam, ipſius miniſtram

completam; non immeritò hæc trinitas, ſcilicet numeri, ponderis, & menſuræ, Aurea dicatur Catena; qua vt in omnibus animalibus, vnicuique membro ſpecifica ſua conceditur forma, ita hac Catena, vnumquodque membrum connectitur, vnitur, ſuumque præſtat officium. Similiter & in vegetabilibus (cum vno eodemque modo operatur natura) in vnoquaque vegetabili præſumere licet, proprium ſuum in compoſitione pondus particulariter obſeruari, numerum etiam præfixum florum, & foliorum, nec-non menſuram debitam longitudinis, latitudinis & profunditatis. Quemadmodum mineralia, & metalla etiam debita proportione ponderis elementorum purorum, vel impu-

rorum temporis menſura debita, numeriſque certis perficiuntur. Quibus vinculis ritè diſpoſitis omnia florent, inordinatis vero, & confuſis fit Chaos, imperfectio, & compoſiti diſſolutio. In illorum enim concatenatione, & connexione, reconditur mirabilis poteſtas artis & naturæ, nec natura ipſa ſine his conſiſtere, neque ars aliquid perficere poterit. Non iniuria igitur mirè occultauerunt Philophi, elementorum proportionem, & illorum in illorum opere mixturam, quaſi his notis omnia detexiſſent. Quantum verò ad noſtrum attinet inſtitutum, pondus ſcilicet operis Philoſophici, principaliter obſeruantur hæc tantum. Scilicet, Æqualia, duo ad vnum, tria ad vnum, nouem ad

vnum,quæ quando,& quomodo diſtinguenda, Daſtinus noſtras,Philoſophus egregius, his luculenter reſerauit , ſcilicet. Cum ſoluis , ſpiritus excedere corpus debebit , & cum figis, corpus excedere ſpiritum. Qui ergo tempus debitum putrefactionis, ad ſolutionem, tempus imbibitionis, deſiccationis, fermentationis , & incerationis nouerit, facili negotio, leuique certamine , ex prædictis annumeratis proportionibus eliget, quæ vnicuique operis tempori conuenerit. Et qui pondera ſciuerit,vt inquit Petrus Bonus totum nouerit magiſterium, & qui ignorat pondera, in noſtris libris non laborat.

Ignis Philoſophicus Qualis?

CAPVT IV.

Lullius.



ECIPE aquam proportionatam in qualitate ſecũdum naturam corporis, quod diſſoluere volueris, tali modo, quod ignis contra natu- ram non ſuperet calorem natu- ralem, corrumpitur enim om- ne complexionatum, niſi ignis naturæ ſibi dominetur. Tres ſunt humiditates, prima eſt aqua, caput reſolubilium, ſe- cunda eſt aer, & eſt medium inter aquam, & oleum, tertia eſt oleum ipſum, omnium ele- mentorum ceratiuum, & no- ſtrum finale ſecretum. Lullij practica, fol. 175.

Ignis noſter mineralis eſt, & non vaporat, niſi nimium excitetur, cuius proportio ſciatur, vt tantummodo excitet materiam, & breui tempore ignis ille abſque appoſitione manuum totum opus complebit. Pontanus, pag. 40. *Pontan.*

Ignis quem tibi oſtendimus eſt aqua, & ignis noſter eſt ignis, & non ignis. Senior. pag. 29. *Senior.*

Argentum viuum eſt ignis, corpora comburens mortificans, & confringens, magis, quam ignis. Dardarius.

Dico cum Lullio hanc aquam ſeu argentū viuum, dici ignem à Philoſophis, nō quod intrinſecus, de natura ſua calidior ſit oleo, aut humore radicali iam dicto, ſed quod igne elementari potentior ſit in actionibus ſuis ſine vi aurum diſſoluendo, *Vogel.*

quod ignis facere non potest. Vogelius, pag. 145.

Lullius. Consideret attentè artifex, quæ sint vires ignis naturalis, innaturalis, & contra naturam, & quis cuiuslibet fuerit amicus, vel inimicus. Lullij Codi. p. 37.

Vetura. Tantum oportet esse calorem, quo aquam emittas sudãdo, & nullo modo induretur, seu congeletur, quia leui decoctione contra naturam aliorum gummi sudat, & coagulatur. Ventura, p. 113.

Ripleus. Quatuor diuersos habent Philosophi ignes, naturalem, innaturalem, contra naturam, & artificialem, quorum operationes diuersas artifex perpendere debeat. Ripleus, pag. 38.

Rosin. Ignibus sibiipsis obuiantibus alter alterum comedit. Rosin. pag. 265.

Spiritus eſt aqua ſecunda, de qua omnia prædicta nutriuntur, omne germen vegetatur, omne lumen accenditur, ergo & omnes fructus facit. Aqua prima Sol Philoſophicè calcinatur, vt corpus aperiatur, & fiat ſpongioſum, vt aqua ſecunda meliùs poſſit ingredi, ad operandum ſuum opus, quæ aqua ſecunda eſt ignis contra naturam, cuius virtute fit huius magiſterij complementum. Scala, pag. 124. *Scala. p. 124.*

Corpora perfecta cum primo, naturaliter calcinamus, ſed nullum corpus immundum ingreditur noſtrum opus excepto vno quod à Philoſophis appellatur leo viridis, quod eſt medium coniungendi tincturas. Ripleus, pag. 26. *Ripleus.*

Eſt quædam anima exiſtens

inter cælum, & terram, oriens à terra, vt aer cum aqua pura, causa vitæ omnium rerum viuentium, decurrens perpetuò super nostram quadruplicem naturam, omni sua virtute producens illam, ad meliorem statum, quæ anima aerea est secretus ignis nostræ Philosophiæ, vocata alias nostrum oleum, & nostra aqua mysticè. Idem, pag. eadem

Albert. Mercurius noster fit ex corporibus perfectis, non imperfectis, hoc est cum aqua secunda postquam per primam aquam fuerint debitè calcinata. Albertus, pag. 19.

Vogel. Vocatur humor hic ignis, quia in eo sicut dictum est, calor, seu ignis naturæ absconditus sit, non secus atque animantium calor in humido primigenio.

Aqua cum ſit heterogenea terræ ſuæ calorem vel minimum ſentiens, euaporabit ea derelicta, & deſerta.

Anima nihil aliud eſt quàm oleum, oleum quàm aqua. Vogelius, pag. 134.

Si quis eligere norit materiam eiuſmodi, qua natura delectatur, eamque ritè præparatam ſuo vaſi, & furno concludere; Ego inquit natura & ipſe perficiemus abſque mora, modo requiſitum ignem adminiſtrarit naturalem contra naturam, non naturalem & abſque ardore. Flamellus, pag. 123. *Flamel.*

Ideo dicimus innaturalem ipſum, vel non naturalem eſſe, quia de ſe non naturatur, nec tollit aliquid naturæ naturatæ; imo potiùs eam adiuuat, mediante exercitatione modera- *Lullius.*

ta, ſecundum quod natura requirit in ſuis reformationibus. Lullij Codicillus, pag. 24.

Artephi. Ignis noſter eſt mineralis, æqualis eſt, continuus eſt, non vaporat niſi nimium excitetur, de ſulphure participat, aliunde ſumitur, quàm de materia, omnia diruit, ſoluit, congelat, & calcinat, & eſt artificialis ad inueniendum & compendium ſine ſumptu, etiam ſaltem paruo, eſt etiam humidus, vaporoſus, digerens, alterans, penetrans, ſubtilis, aereus, non violentus, incomburens, circumdans, continens, vnicus, & eſt fons vitæ, vel aquæ viuæ quæ circuit, & continet locum ablutionis Regis, & Reginæ, in toto opere ignis iſte humidus tibi ſufficiet, in

principio, medio, & fine, quia in ipſo tota ars conſiſtit, & eſt ignis naturalis, contra naturam, innaturalis & ſine aduſtione, & pro corollario eſt ignis calidus, ſiccus, humidus, frigidus, cogitate ſuper hæc, & facite rectè, abque natura extranea. Tertius eſt ille ignis naturalis aquæ noſtræ, quæ vocatur etiam contra naturam, quia eſt aqua, & nihilominus ex auro facit merum ſpiritum, quod ignis communis facere non poteſt, hic mineralis, eſt æqualis, & de ſulphure participat, omnia, diruit, congelat, ſoluit, ac calcinat, hic eſt penetrans, ſubtilis incomburens, & eſt fons aquę viuæ, in quo ſe lauant Rex, & Regina,

quo indigemus in toto opere, in principio, medio & fine aliis verò duobus non. Sed tantum aliquando. Coniunge ergo in legendis libris Philosophorum hos tres ignes, & procul dubio intellectus eorum de ignibus non te latebit. Artephius, p. 31.

Dastin. Pondera ignem, mensura aerem, mortifica aquam, resuscita terram grauem. Dastini speculum, pag. 202.

Lullius. Per intentam considerationem rerum naturalium, non naturalium, & contra naturam debes habere notitiam materialem, & essentialem temperamenti per omnes suas partes essentiales, & etiam accidentales, vt scias te regere in dicto magisterio nostro dictis principiis sic à te comprehensis. Lullij Theorica, fol. 16.

Quatuor ſunt ignes principales obſeruandi, ad reſpectum ſubſtantiæ proprietatem quatuor elementorum. Idem, pag. 174.

Licet triplicem ignem, ſcilicet naturalem, connaturalem, & contra naturam, alioſque diuerſos modos noſtri ignis in libris noſtris pertractauimus, vnum tamen ignem ex pluribus rebus compoſitis volumus ſignificare, & eſt maximum ſecretum in huius cognitionem peruenire, cum non ſit humanum, ſed angelicum hoc cæleſte donum reuelare. Lullij teſtament. pag. 78.

Fili noſtrum argentum viuum, vel pars illius eſt aqua diſtillata, à terra ſua, & terra ſimiliter, eſt noſtrum argentum viuum, animatum, & anima eſt

calor naturalis, qui ſtat colligatus in prima eſſentia elementorum argenti viui. Idem.

In ignis ſtinctura alij diſſentiebant ab aliis, quamuis ad eundem ſcopum tenderent omnes, vt nempe fiat ad hunc modum, ne fugiens priùs auolet, quàm ipſum perſequens quocunpue modo pareretur ignis. Bernardus Comes, pag. 40.

Scala. Ignis quem tibi oſtendimus eſt aqua & ignis noſter, eſt ignis, & non ignis. Scala. pag. 148.

Loquens de ignibus Raimundus in compendio animæ dicit. Notandum quod hic iacent contrariæ operationes, quia ſicut ignis contra naturam diſſoluit ſpiritum corporis fixi in aquam nubis, & corpus

ſpiritus volatilis conſtringit in terram congelatam; ita contrario ignis naturæ congelat ſpiritum diſſolutum corporis fixi in terram glorioſam, & corpus ſpiritus volatilis fixũ per ignem contra naturam reſoluit, non in aquam nubis, ſed aquam Philoſophorum. Scala, pag. 126.

Aqua ex qua ſponſi balneum fieri debet ex duabus pugilibus intellige ex duabus contrariis materiis prudenter magna cura conficiatur, vt aduerſarius vnus alterum propellat. Baſil. Valentin. pag. 32. *Baſil. Valent.*

Quaſcunque actiones nominant, intellige ſemper hæc fieri actione caloris ignis certi, qui non facit ſublimare, quia ita lenis eſt, nec debet aliquem fumum naturaliter eleuare propter ſui debilitatem, vnde ſi *Roſin.*

talis est, quasi eleuet, nec eleuet, bonum est. Rosinus ad Sarratant. pag. 286.

COROLLARIVM.

SI quis rectè Philosophorum dicta in hoc capitulo trutinare vellet, Sole clariùs elucescet modus illorum æquiuocationum, vt enim alibi opus secundum nomine operis primi depinxerunt: sic in hoc capite aquam secundã, aquam nominant primam, & aquam tertiam, secundam, quemadmodum apparet in Scala, p. 123. Vbi dicitur quod Aqua prima Sol calcinatur, vt aqua secunda meliùs possit ingredi, & iterum Aqua secunda est ignis contra naturam. Similia etiam pro-

fert. Ripleus in ſua præfatiuncula. Vnuſquiſque verò artifex nouerit aquam primam, eſſe phlegma tanum, vel ignem innaturalem, quia de ſe non naturatur, nec tollit aliquid à natura naturata, ipſumque inidoneum eſſe ad corpus aliquod perfectum calcinandum vel pręparandum, ſed hoc opus ad ignem naturalem pertinet, ſcilicet vt in illa aqua ſecunda, ſiue igne naturali calcinetur, & præparetur corpus perfectum, vt poſtea in aqua tertia ſiue igne contra naturam ſoluatur. Sed quemadmodum opus ſecundum appellant opus primum illorum, quia nihil intrat in illud opus, quod non fuerit purificatum, mundatum, & purgatum in primo opere. Sic etiam nolunt hic recitare aquã

primam, pro illorum aqua, dum phlegma tantummodo ſit, nec intrat opus Philoſophicum. Sed nominant ſecundum, primam, & tertiam ſecundam, quod ex induſtria faciunt vt ignaros decipiant & ſeducant. Eiuſdem farinæ fuit etiam Artephius, dum ignis naturalis nomen, cum nomine ignis contra naturam, promiſcuè confundere hiſce conatur verbis. Tertius inquit eſt ignis ille naturalis aquæ noſtræ, quæ vocatur etiam contra naturam, quia eſt aqua, nihilominus ex auro facit merum ſpiritum, quod ignis communis facere non poteſt: his vero æquiuocationibus in errorem maximum vnuſquiſque inexpertus faciliìmè inducitur. Sed quemadmodum totius medicinæ theo-
rica,

rica, trium rerum explicatione comprehenditur, ſcilicet naturalium, non naturalium, & contra naturam. Sic totum illud opus Hermeticum, & diuinum igne perficitur, naturali ſcilicet, non naturali, & contra naturam, qui à Philoſophis nomine velantur ignis, quamuis nobis appareant in forma aquæ claræ, puræ, chriſtallinæ, qui corpus Phiſicum cruciant, calcinant, exanimant, inanimant tandemque pluſquam perfectum reddunt, quod nec ignis communis violentia, nec aquarum corroſiuarum virulentia, nec ſpiritibus alicuius animalis, vegetabilis, vel alterius mineralis præſtari poterit. Et qui hæc menſtrua, hos ignes, has aquas, iſtos Mercurios, non nouerit ex vnico noſtro ſubiecto

eruere, separare, rectificare, & componere, Clauem totius operis ignorat In his ergo insudandum.

Lapidis Ortus.

CAPVT V.

Lullius.



ARTVS terræ fit per viam sublimationis inuentæ, cum igitur terra conceperit, & biberit de aqua Mercurij, quantum sufficit, cognoscere poteris per eius volatilitatem, & spoliationem fæcum à substantia purissima, dum ascendet ad modum purissimi pulueris, & albissimi, vel foliorum Lunæ, aut talci splendidi. Cum autem videris naturam

terræ puriſſimæ ſurſum eleuatam, & tanquam rem mortuam, aludel ſpondilibus adhærere, tum ſublimationem ſuper eam reitera, ſine fæcibus, inferiùs remanentibus, quoniam pars illa fixa cum fæcibus adhæreret, & tunc per aliquod ingenium ab illis ſeparare non poſſit aliquis. Lullij Cod. pag. 193.

Fili ſcias quod iſtud eſt caput generale ad omnem ſublimationem Mercuriorum. Tūc recipe terram prægnantem, & pone in vaſe ſublimatorio, lutato, & bene clauſo, in igne tertij gradus, per vigint quatuor horas, & ſublima purum ab impuro, & ſic habebis vegetabilem Mercurium, ſublimatum, clarum, reſplendentem, in ſale mirabili, quod nos appellamus *Lullius.*

propriè ſulphur vegetabile, Sal armoniacum, ſulphur noſtrum, ſulphur naturæ, & multa alia nomina ſibi imponimus. Lullij teſtam. pag. 4.

Semita Semitæ. Adueniente aqua, id eſt argento viuo in terra, creſcit, & augmentatur, quia terra dealbatur, & tunc impręgnatio vocatur, deinde fermentum coagulatur, id eſt coniungitur cum corpore imperfecto, præparato, vti dictum eſt, quouſque fiat vnum, colore & aſpectu, & tunc dicitur Ortus, quia tunc natus eſt lapis noſter, qui vocatur Rex à Philoſophis. Semita Semitæ, pag. 144.

Lullius. Fili, ſignum eſt quando biberit, & retinuerit quatuor partes plus ſui ponderis, quod ſuper laminam auri, vel argenti ignitam modicum ponas, totum

quasi euolabit in fumum; quod si ita non fecerit, reitera, quousque tale signum appareat. Lullij testament. pag. 16.

Ad hunc autem diem crisis, & partus, vel ortus lapidis, qui est terminus totius consummationis operis, cognoscendum; oportet diem præcognoscere indicantem, cum ipsum sit sicut signum, & indicata, sicut signata. Ibi etenim est operis perfectio, aut annihilatio, quoniam in ipsa die, imò hora oriuntur elementa simplicia, depurata ab omnibus inquinamentis, quæ egent statim compositione antequam volent ab igne, & conuertantur in terram, id est fixione & non prius nec posterius Petrus Bonus, pag. 127. *Petrus Bonus.*

Geber. Et cum videris illud albissimum excellens niuem, albedine sua, & quasi mortuum, aludelis spondelibus adhærere, tunc reitera sublimationem eius, sine fæcibus. Geber in lib. summæ perfect. pag. 169.

Ventura. Cum hic Mercurius oritur, simul cum eo in ventre suo oritur Sol, & Luna. Ventura, pag. 170.

Vogel. Toties reiterandum est cælum super terram, donec terra fiat cælestis, & spiritualis, & cælum fiat terrestre & iungatur cum terra. Scala, pag. 121.

Argentum viuum terræ redde, simul decoque, & vt priùs sublima, idque reitera nonies, vel duodecies, semper augendo ignem in fine, donec terra frequenti sublimatione, & ignis calcinantis vi euaserit al-

ba, & ſpiritualior iam facta ſubtilior eius pars, cœperit nonnihil aſcendere à fundo vaſis, & eius lateribus adhærere. Hæc autem terræ mundatio, quæ ſublimatione peragitur, omninò neceſſaria eſt, antequam opus Phiſicum incipiat. Vogelius, pag. 228.

Argentum viuum exuberatum, id eſt terra corporis, cum menſtruo ſimul tranſiens per alembicum, & ſulphur naturæ, eſt ſpiritus metallorum ſublimatus, & conuerſus in terram foliatam, quæ eſt prima, & proxima materia metallorum. Clangor Buccinæ, pag. 480. *Clãgor.*

Combure ergo ipſum igne ſicco, & pariat filium, & cuſtodi ipſum cautè, ne effugiat in fumum, & hoc eſt quod dicit Philoſophus in turba. Terram *Ariſtot.*

dealbate, & igne citò ſublimate, quouſque exeat ex ea ſpiritus, quem in ea inuenies, & dicitur Auis Hermetis; nam quod ſuperius aſcendit, eſt efficax munditia, quod verò ad ima labitur fæx & corruptio. Hic ergo eſt cinis extractus à cinere, & genitum Philoſophorum, terra alba foliata, in qua ſeminandum eſt aurum. Ariſtoteles, pag. 371.

Lullius. Collige cautè, quod in medio ſublimatum inueneris, ne fugiat in fumum, quoniam illud eſt approbatum quæſitum bonum, melius optimum, terra alba foliata, coagulans, vt coagulum agni, cinis cinerum, ſal naturæ, infans generatus, prima, & proxima materia metallorum, & primum ſubiectum in quo ſunt elementa

propria eiuſdem, naturæ ſcilicet naturatæ, humida, & temperata debent reduci atque figi, donec fluat cum ſuo fermento, ſicut cera ſine fumo, & omnem patiatur ignem. Operare ergo cum eo ad argentum, & incipias citò magiſterium, nec inueterefcat ſine commixtione, quoniam aſſumere eam non debes, niſi recenter poſt partum cum ſanguine ſuo. Lullij Codicillus, pag. 117.

Si parum de ſublimando, & mundum exierit adhuc paruus erit ignis. Augeatur ergo. Si vero multum, & immundum, tunc ſuperfluus eſt, ſubtrahatur ergo ignis Si autem multum & mundum, tunc proportio inuenta eſt. Daſtini ſpeculum, pag. 48. *Daſtin.*

Puluis aſcendens à fæcibus, ſuperius eſt cinis à cinere extractus, ſublimatus, honoratus, quod vero remanet inferius eſt cinis cinerum, cinis inferior, vituperatus, damnatus, fæx, & ſicut ſcoria. Fac ergo agnitionem inter clarum & limpidum eius, quoniam cum albiſſimum, vt nix, aſcenderit, completum erit, collige eum cautè, ne euolet in fumum, quoniam ipſum eſt, quæſitum bonum, terra alba foliata, congelans congelandum. Roſarius Arnoldi, p. 427.

Geber. Calx, ſeu corpus debet ſæpiùs imbibi, vt poſſit deinde ſublimari, & magis adhuc purgari, quàm antea, quia calx ſurſum omninò non aut difficulter ſcandit niſi ſpiritu adiuta. Geber libro Summæ perfectionis, pag. 172.

O natura quomodo vertis corpora in ſpiritum, quod non fieret ſi priùs ſpiritus non incorporetur cùm corporibus & corpora cum ſpiritu fierent volatilia, & poſtea permanentia. Recipit ergo compoſitum, mundationem per ignem noſtrum, humidum, diſſoluendo ſcilicet, & ſublimando quod purum, & album eſt, eiectis fæcibus, vt vomitus qui ſponte fit. Nam in tali diſſolutione & ſublimatione naturali, fit elementorum deligatio, mundificatio, & ſeparatio puri ab impuro, ita vt purum, & album aſcendat ſurſum, & impurum & terreum fixum remaneat in fundo vaſis, quod eſt dimittendum, & remouendum, quoniam nullius eſt valoris, recipiendo ſolum mediam ſubſtan- Arto 4q.

tiam albam. Et in hoc completur Philoſophica noſtra ſublimatio, & naturalis non in Vulgari, Iniquo, Mercurio, qui nullas habet qualitates ſimiles illis, quibus ornatur Mercurius noſter, extractus à ſeruo rubeo. Arteph. fol. 21.

Non permanet pars prima niſi alligetur ſecundæ, in eadem hora. Idem.

Oportet quod finis reſtituatur ſuper ſuum principium, & principium ſuper finem. Idem.

Cum animam candidam artifex viderit ortam, ſuo corpori eodem momento coniungat. Cum generata fuerit aqua munda, & candida, oportet, quod ei terram coniungamus eadem hora,

Et ſecundum Platonem, igneitas contrariatur in hora coagulationis. Plato.

Et ſecundum Daſtinum per acceſſum frigoris benè poterit aqua in ſiccum verti. Idem. Daſtin.

Vna, & eadem res eſt in ſubiecto habens omnes iſtas proprietates, & operationes, dum enim in liquefactione permanet, ratione ſubtilitatis dicitur ſpiritus, ſine quo ſpiritu non poteſt fieri generatio animæ & corporis neque cõiunctio. Vnde in toto magiſterio dominatur ſpiritus in actu, vſque quo generetur, anima, & corpus: dum autem volare poteſt ab igne, dicitur anima, dum autem manet in igne, & perſeuerare poteſt, dicitur corpus. Petrus Bonus.

Si ergo tempore generationis anima ſteterit in igne, & prævaluerint vires, per vim ſpiritus, tunc volat ab igne, & trahit ſecum corpus ad volatum, & permanet operans vacuus à propoſito, & exſpectat quod iam venit & iam receſſit, & nunquam de cætero eſt venturum, & videtur mirabile ei. Si autem preualuerint vires corporis, tunc, ſuper vires animæ per æqualitatem ſpiritus conuerſum de actu in habitum, tũc Corpus retinet animam omninò, nec vnquam habet vim fugiendi ab igne, & operans tunc habet propoſitum, quod habuerunt tunc antiqui, & tunc ſpiritus permanet cum eis ſemper, quandoque in actu, quandoque in habitu. Intuitus autem viſus eſt neceſſarius omni-

nò præſertim, cum in fine decoctionis, & ſublimationis, vt albatis omnibus ſuperfluis, videat artifex candorem mirabilem, & terribilem, & ſtatim inueniat ſibi requiem poſt hanc conſummationem laboris, tũc enim infrigidando Lunam Sol occultatur in intimis eius, & oriens coniungitur Occidenti, & cælum terræ & ſpirituale corporali, vnde dicitur in Turba. Scitote quòd vos non tingetis purpureum colorem niſi frigido. Et Hermes, cuius natura fuerit calida ſi frigus eum inuenerit, non nocebit ei. Et Auicenna: Scias, qui euaporauerit totum, bene operatus eſt, infrigida ergo ipſum, tunc enim manifeſtatur occultum, & occultatur manifeſtum infrigidando. Et hæc infrigidatio fit

Hermes.

Auicenna.

cum requiem in qua est nulla operatio manuum, cum sit finis operationis. Margarita pretiosa, pag. 204.

Lullius. Ista terra sic cum menstruo mixta dicitur argentum viuum exuberatum, quod citò collige, & dum recens est, post ortum suum, ponas illud in aquam metallorum, in digestione in tripode athanoris. Lullij testament. pag. 21.

Dunst. Hic est noster Mercurius sublimatus, & fixus factus, ex alba, alterata terra corporum, assurgens primum mirabiliter virtute, & auxilio aquæ, hic est ille Mercurius pro quo inepti, & idiotæ assumunt sibi compositum, ex communi vitriolo, & sale sublimatum, in quo hallucinantur. Dunst. pag. 18.

Clangor. Quantum poteris, ipsum cor-

pus ſublima, & cum Mercurio mundo coque, & cum aliquam Mercurij partem corpus in ſe hauſerit, ſubtilia igne cito, & fortiori, quo poteris, donec aſcendat in ſimilitudine albiſſimi pulueris, in modum niuis adhærens ſpondilibus aludel. Cinis verò in fundo manens eſt fæx, & ſcoria corporum vituperata, & abiicienda, in qua nihil vitæ habetur, quia puluis leuiſſimus, qui modica ſufflatione euaneſcit: quoniam non eſt niſi ſulphur prauum à natura excluſum.

Tunc abiectis fæcibus itera per ſe ſublimationem albiſſimi pulueris ſine fæcibus ſuis, donec figatur, & quouſque non dimittat aliquas fæces, ſed aſcendat puriſſimè

ad modum niuis, quæ est nostra pura quintessentia. Et tunc habebis animam tingentem, coagulantem, & mundificantem, & sulphur, & arsenicum non vrens. Quo possunt vti Alchimistæ, vt cum eo faciant argentum. Clangor. Bucc. pag. 519.

Petrus Bonus. Necessariò cum generata erit aqua munda, & candida oportet quod ei terram iungamus, eadem etiam hora; & coniunctis istis diebus, omnia quatuor coniuncta erunt, & tunc perfectum est opus, & si non coniunguntur, tunc aqua resoluitur in fumum, cum terra, & per consequens alia elementa, per vim & perseuerantiam ignis, & sic annihilatur opus. Propter quod oportet artificem cognoscere elementa simplicia penitus; an-

tequam ipſorum compoſitionem incipiat, vt ſciat ea rectè componere, ad conſtitutionem compoſiti. Petrus Bonus, pag. 221

Si in terra remanſerit aliquid partium puriorum, quod animaduertere poteris ex albedine quadam intermicante, ne tædeat eam cum Mercurio eodem, iterum commiſcere, denuo decoquere, & tandem vt dictum eſt ſublimare, donec nihil purioris eſſentiæ in ea reliquum ſit. Vogelius, pag. 209. *Vogel.*

In extremo iudicio mundi, per ignem mundus iudicabitur, vt quod priùs à magiſtro ex nihilo factũ, rurſus per ignem redigatur in cinerem, ex quo cinere Phœnix tandem pullos ſuos producat, nam in eiuſmodi cinere latet verus, & genui- *Baſil. Valent.*

nus tartarus, qui solui debet, & post solutionem eus, sera fortissima conclauis Regis operiri potest. Basilius Valentinus. Claui 4. pag. 23.

Lullius. Tibi monstrauimus aquam nostram post congelationem, cum suo fermento: quæ tunc quidem dicitur nostra magnesia, & si aquas nostras intelligas viua argenta etiam intelliges. Lullij testament. fol. 108.

COROLLARIVM.

IN hoc capitulo apertè explicatur fabula illa de Phaëtonte, in Ouidij Metamorphosi. Vt Dædali cum filio suo Icaro, qui cum alas sibi ex pennis, parauerunt, easque cum cera

ſibi appendiſſent, cumque his volaſſent extra labyrinthum per aërem; Icarum nimis altè volantem in mare cecidiſſe referunt, in quo ſubmergebatur, quoniam ſol ceram liquauit. Per patrem Dædalum, intelligitur ſulphur naturæ ſublimatum, & Philoſophicè coagulatum. Per Icarum idem ſulphur ſublimatum, ſed indebito regimine artificis, ac ignis violentia, continuata, liquefactum in aquam, & in mari mortuo tumulatum. Similiter etiam his exponitur fabula illa monachi noſtri Rogerij Bachoris Angli, de quo refertur, Æneum ſe compoſuiſſe caput, cuius cuſtodiam, ex longis lucubrationibus ſeruo ſuo commiſit, vt dum vires ſopitas

ſomno refocillaret, attentè tẽpus obſeruaret, quòd quam primum vocem efferebat, eodem ipſo momento, expergefaciat. Seruo verò ſomno obruto, Ænæum illud caput hæc protulit verba. Tempus eſt, & poſt horam iterum. Tempus præteriit. Vnde ex illorum negligentia, vita priuatum fuit opus, & annihilatum. Quod etiam apparet aſſeueratione Petri Boni Philoſophi eximij hiſce verbis.

Si tempore generationis, anima ſteterit in igne, & præualuerint vires per vim ſpiritus. tunc volat ab igne, & trahit ſecum corpus ad volatum, & permanet operans vacuus à propoſito, & exſpectat quod iam venit, & iam receſſit, & nunquam de cætero eſt venturum,

qua iterum commiſcetur cum ter, damnata illa, vnde impoſſib e eſt iterum ſeparari.

Sed vt non inuenitur terra damnata niſi ſeparetur purum, ab impuro, nec dicitur purum, quod in ſe continet fæculentiam, ex conſequentia, præparandum eſt ſummo labore, nec minore vigilantia ſubiectum noſtrum Phiſicum, à natura nobis priùs compoſitum, & in metallicam formam formatum, taliter, vt in primam reducatur materiam, noſtroque artificio, ſcilicet elementorum ſeparatione, putrefactione, imbibitione, ſublimatione, coniunctione, noua tandem oriatur forma: quæ baſis ſit operis Philoſophici, ſicut in hoc capitulo conſtat. Vnde elucidatur dictum illud Artephij. Quod

non permanet pars prima, nisi alligetur secundæ etiam in eadem hora. Illa verò Alligatio fit coagulatione, illa coagulatio fit infrigidatione, etiam illa hora, qua Artifex viderit, & iudicio suo perspexerit totam illam substantiam purissimam, à terra sua damnata sublimatam. Quod quidem Arcanum Arcanorum, ab omnibus Philosophis variis ænigmatibus velatum, & cælatum sparsimque in illorum libris dispersum hisce paucis adeo lucidè patefactum est vt à nullo hactenùs. Et hęc est præparatio, in qua, vt dicit Senior, excæcati sunt homines, cum ignorant hunc lapidem hac præparatione præparatum.

Pondera

Pondera secundi Operis.

CAPVT VI.

IN opere magisterij nostri non egemus nisi vnico vase, vna fornace & vna dispositione, quod intellige post præparationem lapidis. Rosar. Philosophorum, pag. 240. *Rosar.*

Opus secundum est aquam & ignem in terram vertere, & aërem in vnam substantiam simplicem ex simplicibus compositam. Dastini speculum, pag. 106. *Dastin.*

Si medicinas æqualiter imponas, errorem non senties, si vero addas, vel minuas ad

emendationem recurras, vnde si diluuium emerserit, regionem submergit, si verò siccitas nimia acciderit, radices herbarum comburit. Qui ergo æquali parte corpus putrefacit, quousque exsiccetur, facit totum vnum corpus album. In simul enim inspissantur, incinerantur, & siccantur. Et hoc est caput mundi; Operis ergo pars parti respondeat æqualiter, vt dicit Democritus Idem, p. 122.

Ripleus. Principio Accipe nostros lapides, ac sepelias vnumquemque in sepulchro alterius, æquabilique inter se iungas connubio, vt simul concumbant, sex hedomadis tum foueant suum semen, naturalem conceptum nutriant, ac conseruent, toto illo tempore à fundi sui sepulchri non assur-

gentes. *Quod secretum multos fallit.* Ripleus, pag. 44.

Sic etiam in nostra coniunctione, intellige quod mas, Sol noster debet habere suæ aquæ partes tres, & illius vxor nouem, quæ debent ad ipsum esse tres. Ripleus, pag. 39.

Non possumus propriis manibus operari in Mercurium, sed cum decem speciebus, quas manus nostras appellamus, in hoc opere, id est nouem partes aquæ, & decima terræ. Massa Solis & Lunæ, pag. 257.

Cum verò tres partes aquæ suæ rubeæ fuerint secum, per hunc modum sublimetur vice post vicem cum eo, donec figatur deorsum. Rosar. Arnoldi, pag. 449. *Rosar. Arnoldi.*

In hoc Mercurio mundo, mitte corpora munda, æquali

lance librata. Idem, pag. 447.

Dastin.] Coque ipſum ad Solem calidũ, quouſque ſiccauerit ſuam aquam, qua exſiccata iterum piſa ipſum, cum aqua ad põdus ſuum, & coque ad Solem, quouſque ſiccatur in lapidem, hoc pluries facito, donec ſui decuplum de ſua aqua biberit, fiatque ſiccus, durus, & rubeus. Daſtini ſpeculum, p. 190-134.

Fili oportet te, terras ſulphurum antedictorum id eſt auri, & argenti ſimul miſcere, & prę-parare, dãdo ſibi, quartam partem ſui, põderis, dicti menſtrui, digerendo, & deſiccando vt in *Creatione ſulphuris fit*, quouſque biberit quatuor partes de dicto menſtruo, & ſit diſpoſita ad ſublimandum; Quam ſublimabis, in igne quarti gradus. Lullij teſtamentum, pag. 24.

Accipe de ſincero corpore partem vnam, & ex alio Ære tres, & cõmiſce aceto. Senior in Turb. Oportet aquã nouies excedere terram, vt ſic in decennario numero, qui numerus eſt perfectus, conſumatur totũ opus. Verum vt dicit Dioſtenes, ſi nimis de aqua ſimul imponatur, in terra non continetur, ſi verò nimis ſubtrahatur, terræ non iungitur. Vnde tota aqua non eſt terræ ſimul imponenda. Diuide ergo ipſum in tres partes, & quãlibet illarum in aliam tertiam, quoniam ſic poteſt, vnus demicare meliùs contra vnum, quàm contra numerum plurimorum. Cõmiſce calidum cũ frigido, & humidũ cum ſicco & fiet mixtum temperatũ, nec calidum, nec frigidũ, nec humidum, neq; ſiccum

nam vnum obtemperat altero, mixtum faciens adæquatum. Daſtini ſpeculum, p. 177. 134.

Baſil. Valent. In magnis aquis, facilè quis ſuffocari poteſt, & aquæ paruæ non difficulter calore Solis exſiccantur, vt nullius reſpectu ſint. Idcircò ad obtinendam optatam metam, certa menſura in commixtione Philoſophiæ liquoroſæ ſubſtantiæ obſeruanda erit, ne maius minorem portionem ſuperet, & opprimat, quo generatio prohibeatur, & ne minus nimis imbecillum ſit, quo & æquale dominium exercere poſſit. Nam pluuiæ nimiæ fructibus inutiles ſunt, & ſiccitates nimiæ nullam veram perfectionem producunt. Quocirca ſi Neptunus balneum ſuum legitimè præparauerit, aquam permanen-

tem benè ponderes, ſedulaque cura conſideres, ne quid nimis, aut minus illi facias. Baſilius Valentin. pag. 42.

Accipe de aqua rubra, & alba tantum de vna, quantum de alia, ad pondus, & pone illas duas aquas ſimul in cucurbita de vitro facto, forti & ſpiſſa, habenti os ſicut vrinale, poſteà tota aqua erit citrina, vel ſatis citò, & ſic erit perfectum verum Elixir, ad vtrumque & perfecta impraegnatio, & verus coitus. Arnoldus in Commentar. Hortulani, pag. 34. *Arnold.*

Regina nouem ſuffulta puellis decenter cubiculum obſeruet tanti Regis, & ſic pro lapſu temporis ex denario numero ſtatues vnitatem. Daſtini Epiſtola, fol. 2. *Daſtin.*

In hoc magiſterio ignis regi- *Baſil.*

men obſeruari debet, ne humidus liquor, iuſto citius exſiccetur, ac terra ſapientum nimis citò colliqueſiat, & ſoluatur. Alias ex piſcibus ſalubribus, in aquis tuis, ſcorpiones generabis. Baſil. Valent. pag. 10.

Roſar. Quaſcunque actiones nominant intellige ſemper, hæc fieri actione caloris ignis certi, qui non facit ſublimare, quia ita lenis nec debet aliquem fumum naturaliter eleuare. Roſ. p. 287.

COROLLARIVM.

NE forſan Ripleus, & Daſtinus noſtrates & Philoſophi eximij inter ſe diſſentire in hoc capitulo nonnullis videantur. Dum Ripleus æquales recipit partes, æquabilique iungit coniugio. Daſtinus vero

affirmat, aquam debere nouies excedere terram, vt ſic in decennario, qui numerus eſt perfectus, cōſumatur totum opus. Apparentem hanc contradictionem, operæ pretium duxi reconciliare. Vti ergo qui benè diſtinguit, benè docet, ſic quicunque hic nouerit temporis diſtinctionem, ipſo facto iſtius nodi habebit ſolutionem.

Ripleus etenim primò loquitur de prima compoſitione in opere ſecundo, ſiue Philoſophico, vbi terra, & aqua pura, exactè prius præparata æqualiter ſint coniungenda, æquali proportione. Daſtinus vero poſt operis ſecundi perfectionem de imbibitionibus illam ſuam ſententiam profert: & ſic dum diſtinguuntur intelliguntur, idque leui labore. Sed quid

ſibi velit his verbis Ripleus, vt ſcilicet ſimul concumbant, ſex hebdomadis, toto illo tempore à fundo ſui ſepulchri non ſurgentes, interrogandum, perſcrutandum, dum affirmat ſecretum eſſe, quod multos fallit? Iſta fit coniunctio vt ſicut pullus ex ouo poſt putrefactionem perficitur, ita poſt hanc coniunctionem, & debitam putrefactionem, perueniatur ad operis complementum. Scire ergo oportet, ſi quid per putrefactionem naſci debeat, vt hoc modo eueniat neceſſe eſt. Terra per occultã & incluſam humiditatem, in corruptionem aut deſtructionem quandam reducitur, quod initium eſt putrefactionis, quæ tali temperato calore foueri debet, vt à compoſito nihil exhalet, vel ſu-

blimetur ad summitatem vasis, sed simul maneant mas, & fæmina materia, & forma, agens, & patiens. Aqua in terra, & terra ab aqua inseparata, vt quasi oui vitellum in cuticula inclusa contineantur: donec putrefactionis tempus retinacula soluat; quod citius non fiet, quàm quadraginta dierum spatio, vt namque natura subitas odit mutationes, siue alterationes: sic nulla fit putrefactio nisi tempore longo, & statuto, vt facetè Dastinus. Putrefactionem promouent, & inducunt aëris caliditas, rerum subtilitas, ignis lenitas, quietis stabilitas, mixtorum æqualitas patientiæ grauitas, & temporis maturitas, itaque tum quoque aër temperetur, densum subtilietur, ignis refrænetur, quies

ſeruetur, proportio adæquetur, patientia roboretur, & tempus præſtoletur, quouſque natura naturaliter procedens ſuum compleuerit opus. Vt verò ad propoſitum redeam, & corollarium corollario addam. Obſeruandum eſt quod in præparatione, tres aſſumuntur ſpiritus partes, ad vnam partem corporis imperfecti, & poſtremo circa tempus ortus, tres aſſumuntur partes corporis imperfecti, ad vnam partem ſpiritus, & hoc non ſemel, ſed ſæpius; In opere vero ſecundo, quod à Philoſophis appellatur opus primum, iungitur primò pars cum parte, deinde tres corporis partes cum vna de ſpiritu, idque ſæpius pro imbibitionibus, tandemque tres ſpiritus ad vnam partem corporis per-

fecti pro inceratione, siue fermentatione, quibus perficitur opus nostrum mysticum, diuinum], & plus quàm perfectum, sine numero excedens gradum perfectionis.

De Imbibitione.

CAPVT VII.

DEMVM nutrias tale animatum lacte suo id est aqua sua, ex qua concreatum est opus, siue inceptum à principio. Exercitatio in Turbam, pag. 170. *Exercit. in Turbam.*

Da illi quartam partem nouæ aquæ, & multo plures adhuc imbibitiones debes habere, da illi secundam, & post, etiam *Ripleus.*

tertiam, seruans in tua mente dictam proportionem, & quando fecisti imbibitiones septem, tunc iterum debes rotam circumuoluere, & putrefacere omnem illam materiam sine additione. Ripleus, pag. 51.

Clãgor. Si velis Elixir tuum præparatum secunda, tertia, & quarta vice volatisare, vel imbibere, hoc debet fieri, cum quarta parte Elixiris, Mercurij, hoc verò multoties facite, quousque pereant aquæ partes, id est deficiant, quod non ascendet vltra. Iubeo tamen vos, non simul aquam affundere, ne Ixir submergatur, verùm paulatim, id est septies infundite, & terite, demúmque exsiccate. Clangor Buccinæ, pag. 535.

Hermes. Humectate, & conterite pluribus diebus, & hoc nouem vi-

cibus, quæ per nouem aquilas aſſignantur, & in qualibet ſolutione, & coagulatione augmẽtabitur eius effectus. Hermes de Chemia, pag. 179.

Multoties contere eam, & paulatim imbibe eam, de octo, in octo diebus, decoque, & poſt mediocriter calcina, in igne, & ne tædeat te opus multoties reiterare, quia terra fructum non gerit, abſque frequenti irrigatione, vnde cum arida ſit, multum ſitiens bibit ſuum humidum, & aqueum. Auicenna, pag. 420. *Auicenna.*

Si conficiatis ſine pondere, mors ſibi eueniet, totum igitur ſui humoris reſiduum imponite ſibi, temperate, neque multùm videlicet, neque parùm. Quia ſi fuerit multùm, fiet perturbationis pelagus, ſi verò pa- *Daſtin.*

rum comburetur in fauillam. Nam calor ignis vt dicit Auicenna, si humiditatem, quam desiccet, non inuenerit, comburit, si autem multum humoris, simul infuseris, non desicces, sed resolues. Pondus ergo vbique notandum, ne nimia siccitas, aut superfluus humor corrumpat, vt per totum opus tuum inhumando dissolues, quantum in assando deficit, & tãtum assando diminuas, quantum inhumatio dissoluit. Et omnis dissolutio semper fiet inhumando, & in connectendo. Humor dissolutione acquisitus naturali calore solùm remanente semper erit desiccandus. Dastini Epistola, fol. 5.

Treuisanus. Aquam exhaurire cœpi, cum industria tamen adeo vt non

manerent in eo niſi decima pars cum decem partibus. Treuiſanus, pag. 47.

Oportet aquam nouies excedere terram vt ſic in decenario, qui eſt numerus perfectus, conſumatur totum opus. Daſt. ſpec. p. 134. *Daſtin.*

Oportet accipere ex Ære noſtro partem vnam, & aqua permanente, quæ etiã Æs vocatur, partes tres, deinde comiſcete aceto, & coquite tamdiù, quouſque inſpiſſentur, & vnus fiat lapis. Cadmon in Turba, p. 37. *Turba.*

Nutritur lacte ſuo, id eſt ſpermate, ex quo fuit ab initio, imbibitur autem argentum viuum, ſæpè, & ſæpiùs, quouſque duas partes bibat, vel quod ſufficiat. Semita. p. 442. *Semita.*

Fili pone ſpiritum tuum ad intelligendum quæ dicimus,

noli potare, nisi comedas, nec comedas, nisi bibas, hoc tibi dicimus ratione imbibitionis, vniformis, quam debes facere de humido cum sicco successiuis vicibus. Lullij practica, fol. 193.

Dastin. In suaui balneo Regem oportet quiescere, donec sui nutritoris paulatim, & paulatim hauserit trinitatem, sitque potus post comestionem, & non comestio post potum. Comedat ergo, & bibat vnum post aliud secũdum rationem. Non ergo desistas Regem imbuere, coquere & desiccare, quousque totum vorauerit lac maternum, Regina secum nouies prostrata super terram. Dastini Epistola, fol. 4.

Pythagoras. Regem toto suo humore imbutum per dies quadragin-

ta, in æquo calore iugiter putrefieri demitte, quousque maternum induat vultum album. Pythagoras in Turba, pag. 80.

Tribus vicibus sic rotam tuam circumuertes, seruans dictæ cibationis regulam. Ripl. pag. 53. *Ripleus.*

Quando materia tua conceperit, exspectare debes partum, & quando pepererit, debes habere patientiã in puero nutriẽdo, quousque possit ignem pati, & tunc de ipso liberam poteris facere proiectionem, quia prima digestio facta est. Lullij Theor. fol. 30. *Lullius.*

Demùm nutrias tale animatum corpus lacte suo, id est aqua sua, ex qua concreatum est opus, siue inceptum à principio, de comestione autem docetur, vt proportio ita se habeat *Parmenides.*

ad inuicem, vt ſint aquæ tres partes ad vnam plumbi. Parmenides in Turba, pag. 165.

Lullius. Cum iſta humiditate permanenti, quæ ſimiliter ex argento viuo ſumpſit originem, noſtrum imbibas lapidem, quoniam per illam partes eius conſtant clariſſimæ, vt patet quando poſt perfectam ipſius mundationem ab omnĩ re corrumpente, & maximè ab humoribus duobus ſuperfluis, ſcilicet pinguinoſo, aduſtibili, & phlegmatico, euaporabili, redigitur in propriam ſulphuris ſubſtantiam non vrentem & ſine illa nunquam emendatur, augetur, nec multiplicatur. Lullij Codicillus, fol. 46.

Arteph. Aqua eſt viua, quæ venit rigare terram ſuam, vt ger-

minet & fructum producat in tempore ſuo, nam ex roratu omnia generantur ex terra naſcentia. Terra ergo non germinat, abſque irrigatione, & humiditate roris Maij. Ipſa abluit corpora, tanquam aqua pluuiali, penetrat, & dealbat, & facit corpus nouum ex duobus corporibus. Artephius, fol. 17.

Contere terram, paulatim imbibendo cum aqua, de octo in octo dies, decoque in fimo, quia per inhumationem aduſtio tollitur, & non tœdeat te multoties hoc reiterare, quoniam terra fructum non gerit, abſque frequenti irrigatione. Roſarius Philoſophorum, pag. 355. *Roſar. Philoſ.*

Quoties cinerem imbuitis, *Daſtin.*

toties per vices desiccetis, si autem imbuatur, antequam desiccetur & fiat puluis, submergitur, inebriatur, & ad nihilum reducitur. Et qui absque pondere cõficit, vt inquit Trismegistus, interemptus suffocatur, quia qui bibit, nec sitit, indigestionem nutrit, hydropisin appetit & inducit. Dastini speculum, pag. 209.

Afflictes Deinde oportet ipsum conteri, & aqua illa residua, & dimidia, septem vicibus imbui, permanente qua absumpta putrefieri, donec optatum habeatur. Afflictes in Turba.

Vicarus. Hanc autem rubedinem septies imbuetis aqua residua, aut donec totum bibat suam aquam, coquite denuò, donec desiccetur, & in terram vertatur aridam, deinde accenso po-

natur igne quadraginta diebus, quousque putrefiat, eiusque colores cum cinere appareant. Nicares in Turba.

Sicut eadem res embrio, infans, puer, & vir transiens de incompleto esse ad complementum perfectum, sic etiam nostrum mixtum de re ad rem, crescendo, transit meliorem, & de incompleto esse proprio suo lacte prouch tur ad suum Elixiris complementum Et ideo totum suum commixtum est de forma elementorum. Quare dicit Morienus, quòd dispositio eius operis creationi hominis est similis quum ex seipso nutritus crescendo fit de die in diem & de mense in mensem; donec iuuenilem attigerit ætatem, temporeque certo compleatur. Dastini speculum, pag. 150. *Dastin.*

Lullius. Propinqua causa huius fixionis est mixtio per minima vtriusque, ita vt summa volatilis non superet summam fixi corporis, sed virtus fixi superet summam spiritus non fixi, ad fixationis intentionem, si hoc intelligis fili, habere poteris thesaurum cæli, & terræ. Expetit cum corpus ita naturaliter augmentatur, & nutritur per conueniens humidum quod iuxta mensuram, vt tum suæ nutritionis, siue augmentationis maiori imbibas aqua, secundum pondera reuelata per artem ad conformitatem principiorum, & qualitatem corporis augmentati datum, & decoquetur igne lento, naturalem calorem excitante, & non excedente, donec ad perfectam peruenerit albedinem.

Lullij Codicillus, pag. 157.

Et nota, quod poſt imbibitionem debent inhumari per ſeptem dies. Itera ergo opus multis vicibus quanquam ſit longum, & pondus in hoc vbique notandum, ne nimia ſiccitas, aut ſuperfluus humor adminiſtrando corrumpat, vt videlicet tantum aſſando decoquas, quantum diſſoluendo adiecit, & imbibendo diſſoluas, quantum aſſando defecit, quare ſuauiter, & non feſtinanter de octo in octo dies terram irrigabis. Idem.

Si vna imbibitio, vna deco- *Daſtin.*
ctio, vna contritio ſibi ſufficerent, non tantum ſua dicta iteraſſent, hoc autem ideo fecerunt, vt abſque diuortio & tædio operi, iugiter inſiſterent; Quare etiam dicunt, ſpera, &

spera, & sic consequeris. Cum autem exsiccatur, tum per cursum alium insatiabili tradatur comestioni, vt inter omnem incerationem gradatim combustus, in cinerem eius experiatur potentiam. Dastini Epistola, fol. 4.

COROLLARIVM.

TEstante Aristotele primo Physicorum totum non cognoscitur, ignoratis partibus, quibus constat. Totum autem, vt naturam omnium suarum partium sapit, sic totum, & perfectum sunt penitus idem. Vnde sequitur quod nulli sufficit alicuius ædificij subiectum cognoscere, vt domus inde construatur, nisi particulares par-

tes, illarumque constructionem, compositionemque cognouerit. Similiter ad lapidis perfectionem, parum conduceret, subiectum, præparationemque ipsius tantùm nouisse, nisi postquam fuerit præparatum, nouerit Artifex ad maturitatem perducere, deinde nutrire, ac denique cibare, vsque dum ad plus quàm perfectionis attigit gradum. Tum testantur partes, de toto, & totum de partibus, principium de fine, & finis de principio. Quantum etenim lugendum esset si nasceretur Regali Solio Hæres, & nullus reperiatur, qui illum nutrire nouerit. Ad hunc igitur nostrum infantulum nutriendum, à medicis consulitur (dum stirpis sit Regiæ, purissimæque constitutionis) vt nulli trada-

tur nutrici alienæ, ſed matris vbera ſugat, quæ vt prius in vtero proprio nutriuit ſanguine, ſic iam ad maturitatem perductus ſanguine exuberato, & per venas mamillares circulato, & rectificato nutriendus, debitaque proportione cibandus. Medicinaliſque ipſius lactis menſura, hebdomadatim, ſit quarta pars ponderis infantuli. Hanc autem dietam, per ſeptem teneat hebdomadas, donec ita ſit medicinaliter cibatus, vt dum cubili vitreo, (à Philoſophis, ſibi ac medicis ordinato, firmiterque obſerato) recondatur, balneoque reponatur; Somno ſopitus, ſudore liqueſcant ipſius artus, qui naturæ, & artis ope, debitoque regimine formam reſument priorem, renouatam, viribuſque adeo multi-

plicatis, vt iam cibum Regalem appetit, quo nutrito, breui temporis curriculo Rex erit, fortior Rege, & in prælio tam potens, vt ſolus ipſe, contra decem mille hoſtes, victor potentiſſimus, victoriam tenebit. Hunc ergo quærite Regem, quem qui pro ſuo tenuerit præſidio, rebus omnibus ſublunaribus imperabit.

De Fermentatione.

CAPVT VIII.



MNIVM Philoſophorum teſtimonio tres ſunt Elixiris partes, ſcilicet anima, corpus & ſpiritus. Anima Taulad.

nihil aliud eſt quam fermentum vel forma Elixiris, corpus eſt paſta ſiue materia, quæ duæ partes, ex ſolis metallis depromendæ ſunt, vt pote forma, ex Sole, & Luna, materia ex Ioue, Saturno, Venere, & Marte, vt etiam aſſerit Lullius. Tertia verò pars lapidis eſt ſpiritus, qui cum ſedes, & vehiculum ſit animæ, animam corpori infundit, & hæc duo extrema, indiſſolubili confœderationis vinculo componit, & copulat, quo mediatore ſublato, anima cum corpore nunquam fœdus inire poſſit. Etenim non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur duo extrema, niſi beneficio alicuius medij concilientur, & confœderentur. Hic ſpiritus nihil aliud eſt, quam liquor ille, formam & materiam

attenuans lapidis, ac in ſpiritualem naturam reuocans, qui ſpiritus, interdum à Philoſophis cælum, interdum Mercurius ſolutiuus, interdum mẽſtruum, interdum quinteſſentia, & innumeris aliis nominibus nuncupatur. Tauladan. pag. 338.

Ripleus. Ad tuum compoſitum fac fermẽti quartam partem, quod fermentum eſt ſolum Solis, & Lunæ. Scitoque quod fermenta ſunt tria, duo corporum in natura pura, quæ alterari debent, vt tibi diximus. Tertium ſecretiſſimum, quod nos meditamur, eſt illa prima terra, cum aqua propria viridi, quapropter dum leo ſitit, fac, vt bibat, donec eius corpus rumpatur. Ripleus, pag. 56.

Semita. Accipe de fermento quartam partem, & illud fermen-

tum sit solutum, & terra factum, sicut corpus imperfectum, & eodem modo, & ordine præparatum insimul coniunge, & imbibe cum aqua prædicta benedicta. Nam fermentum corpus imperfectum præparat, & ad naturam suam conuertit, & non est fermentum nisi Sol, & Luna. Semita Semitæ, pag. 444.

Rachaidibus. Da ei fermentum fermentatum, ab omni elemento elementatum æqualiter, quod est, aurum: da ei quartam partem, quod tamen prius calcinatum sit, & in aquam solutum. Fermentum est duplex, album, & rubeum, quorum fermentum Solis est Sol, & Lunæ Luna. Sit autem fermentum quarta pars æris nostri. Rachaidibus, p. 393.

Dunst. Nullum habebis fermentum

perfectum ; donec alteretur, cum nostro Mercurio, à primis qualitatibus, in nouam albedinem, medio putrefactionis, & alterationis. Dunstanus, p. 7.

Lullius. Ignorantes indigentiam naturæ, putauerunt hoc fermentum, præparari debere, cum nouo menstruo, in quo est ignis contra naturam, non videntes perditionem temperamenti, à quo corpus recedit per ignem vrentem, id est contra naturam. Fermentum, scilicet corpus, quantum intelligitur pro fermento nunquam præparatur, nisi cum igne naturali, & aqua Mercurij. Lullij Codic. pag. 211.

Accipe vnam partem, de fermento & tres partes de corpore imperfecto, dissolue

fermentum, in æquali suæ aquę Mercurij, coque, insimul lentissimo igne, & coagula illud fermentum, vt fiat sicut corpus imperfectum. Rosar. Philosophorum, pag. 317.

Arnold. Accipe terram rubram, & coapta ipsam in laminas tenues, vel in limaturis derasis, & pone in aqua vti datum est, & non soluetur in ea, sed tantum calcinabitur in puluerem rubrum, quo facto, remoue aquã cautè, & pone in alio vase simili illi, in quo est, ita quod remaneat puluis calcinatus, terræ rubræ in suo vase sine aqua, & in aqua remota, pone terram albam, & soluetur illa, & sic proficiet tibi aqua, & non vastabitur. Arnold. in comment. Hortulani, pag. 31.

Lullius. In præparatione fermenti, an-

te vltimam sui fermentationem, apponimus Mercurij vulgi, non tamen solemni præparatione præparatum, scilicet in lac virgineum, sed prout existit in natura sua, per solam sublimationem ad hoc, vt reducat corpus fermenti, in simplicitatem, & sit medium coniungendi tincturas. Lullij Codicillus, pag. 215.

Insatiabili reddatur comestori, de cætero nutriendus cibo grossiori, vt completa digestione accepta, de materno in paternum transeat regnum suum. Dastini Epistola, p. 6. *Dastin.*

Quemadmodum auri fermentum aurum est, argenti argentum, ita ferri fermentum est ferrum, cupri cuprum, & plumbi plumbum. Omne enim Agens agit iuxta formã suam. *Tauladanus.*

Possunt alicui hæc quæ diximus noua videri, ac si ex singulis ignobilibus posset fieri Elixir, quod mutet reliqua omnia tam nobilia, quàm ignobilia aut in Martem, aut in Iouem, aut in Saturnum, aut in Venerem. Quod iam licet multis viris doctis, & maximè Petro Bono, viro singularis eruditionis nouum, & incredibile videatur, nulla tamen ratio est necessaria, quæ id fieri prohibet. Imo si non fieret, actum esset de Alchimia, & ars alchymiæ merito figmentum & fabula dici posset. Hanc enim legem natura sanciuit, vt quotiescumque actiua passiuis ritè copulentur, actio & passio subsequantur, & alteratio semper naturam agentis sapit, & redolet. Et quotiescumque

id quod antea patientis vires gerebat, ita disponitur, vt valenter agere possit, à quo patiebatur necesse est, alterationem naturæ agentis responderе & conformem esse. Quocirca si ignobilia metalla ad patiendum disposita actione auri, vel argenti ad actionem ritè disposita immutantur, necesse est ab ignobilibus metallis ad agendum affabrè dispositis, metalla nobilia ad patiendum disposita immutari. Taudadan. pag. 297.

Fermentum sit præparatum, vt sit calx alba & subtilis, si ad album procedat tua intentio, si verò ad rubrum, tunc sit calx citrinissima auri præparata, & non erit aliud fermentum, ratio est, Clãger.

quia ista duo corpora lucentia sunt, in quibus sunt radij tingentes, splendidi, cętera corpora albedine, & rubedine naturaliter excellendo. Et si terram albam fermentare volueris, diuide ipsam terram in duas partes, vnam partem augmentabis, ad Elixir Album cum sua aqua reseruata (& sic nunquam desinit esse eius) & aliam partem pone in vitrum suum, id est furnum suæ digestionis & auge sibi ignem, donec in rubicundissimum puluerem, vi ignis, vel sicut crocus siccus combustus conuertatur. Et si volueris, vt sit tinctum rubedinis Elixir albissimum transformans & tingens Mercurium, Lunam & omne corpus in verissimum Solem, vel Solificum corpus, tunc fermenta eius par-

res tres, cum parte altera & dimidia auri puriſſimi, præparati, & ſit calx ſubtiliſſima cum duabus partibus aquæ ſolificæ, artificialiter in vnum chaos reducens connexione per minima vſque ad occultum corporis, & pone in ſuo vitro in igne ſuo, & coque, vt eluceſcat rubicundiſſimus lapis ſanguineus verus. Clangor Buccinæ, pag. 529.

Fermentum non eſt aliud niſi à Sole, aut Luna. Et fermentum non eſt, quouſque dicta corpora conuertantur in ſuam primam materiam, quia expedit, quod ex Sole & ſubtiliſſima terra, fermentum debeat componi. Quare ſi duo corpora perfecta neſcis reducere in ſuam materiam primam, non poteris habere aliquod fermentum. Lullij Theorica, p. 92. *Lullius.*

Massa Solis & Lunæ. Est enim hoc minerale, quod cum miseris aquam super terram, vincit album super citrinum, & rubeum, & dealbificat ea in albedinẽ argenti. Deinde vincit citrinum super album, & rubeum, ita quod citrinare ea facit, super citrinitate auri. Deinde vincit rubrum super citrinum & album & rubificat ea in rubedinem tyrij, & cum videris hæc, gaude. Massa Solis, & Lunæ, pag. 212.

COROLLARIUM.

VT in hoc Capitulo apertè, & præclare docetur modus egregius fermentationis sic legenti inexperto, inter Raimundum & Ripleum hisce Videatur forsan hæc contradi-

ctio, nimirum dum Raimundus duo tantummodo asserit esse fermenta, vnum Solis scilicet, alterum Lunæ. Ripleus verò tertium addit, quod appellat leonem viridem; Corpusque immũdum quod dicitur etiam, laton. Quod quidem laton dum aliud non sit, quàm ex auro, & argento corpus compositum, imperfectum, secundum Morieni dictum, tertium illud Riplei luculenter demõstratur aliud non esse, quàm aurum, & argentum immaturum. Et sic non dissentiunt, imò concordãt in materia fermenti quamuis alio assignatur titulo immaturitatis gratia Huic assentire videtur Dunstanus nostras Archiepiscopus Cantuariensis. Certum est terrã posse fermentum esse aquæ, modò fixa fuerit,

& aquam fermentum terræ, si è conuerso perfecta, & defæcata fuerit, & hoc sine omni auxilio auri vel argenti vulgaris. Quæ quidem verba postrema, inter illorum sententias, nouam videntur addere controuersiam, dum aliqui affirmant, sine auro vel argento vulgi Elixir non posse perfici. Alij contra asserunt Aurum & Argentum vulgi ad nostrum opus esse inidonea. Liceat ergo in medium proferre Dunstani sententiam. Notandum, inquit, Antiquos Philosophos non vsos fuisse auro, & argento vulgi in hoc opere, & propterea dixisse illorum laborem non indigere magnis sumptibus, sed posse tam à paupere, quàm à diuite, à rustico, quàm ab vrbano, æquè fieri, quod omninò à veritate discre-

paret, si non sine auro & argento communi perfici poterit. Vt ergo caueamus, præcipit; Nam quamuis aurum, & argentum possunt subtiliari, & misceri tincturis, & in minora redigi Elixiria, tamen via secundum doctrinam Philosophorum non est in illis. Nam ipsorum aurum, & argentum sunt duæ præcipuè tincturæ, Rubra & Alba in vno eodemque corpore sepultæ, quæ à natura nunquam peruenerunt ad perfectum complementum, separabiles tamen sunt à terrestri lutositate & scoria accidentali, & deinde propriis qualitatibus, terris puris, rubris, & albis ita commixtibiles, iisdemque tam aptissima habentur fermenta, vt nullo modo dicantur indigere alieno. Quibus verbis, ni-

hil aliud depingitur quàm leo ille viridis Riplei, siue Aurum illorum, non aurum, nisi potentialiter dum adhuc immaturum. Quod semper, & solùm ab omnibus Philosophis, & intelligentibus seligitur, & eligitur, pro materia illorum prima. Ex quibus manifestè patet, quod nec Aurum, neque Argentum vulgi eligi debeant pro materia prima. Sed adhuc in dubio hæret. Si, cur, & quando nobis sint necessaria ad Elixir componendum. Quibus ex Authoritate Philosophorũ respondeo. Adeo esse necessaria, vt sine illis Elixir non poterit perfici: Non tamen quatenus sunt Aurum, aut Argentum vulgi, sed ita alteratis, vt ad primam reducantur materiam, & dum fixa

natura fuerint, arte fiant volatilia, & tunc tandem, dum in tali ſtatu ſint, impoſſibile erit, vt à quouis Artifice in Aurum, vel Argentum vulgare, iterum reducantur, more Aurifabrorum; Quia tunc, ſecundum Turbam, corpus fit incorporeum, & teſtante Roſario. Qui ſcit Aurum ita deſtruere, quod ampliùs non ſit Aurum, is ad maximum arcanum peruenit. Ac quando ita præparatur, tunc priùs idoneum erit ferculum quo infans noſter nutriatur, & à Philoſophis fermenti, nomen attribuetur. Quod poſtquam lapis ſit ad perfectam rubedinem perductus& materno lacte nutritus, coniungi debeat cum terra ſua rubea, pro Elixiris

complemento, vt plusquam perfectam reddat tincturam, & medicinæ præparatæ naturam suam fixam communicet, qua specificata euadat tandem completa. Ex his ergo apparet, quod Aurum & Argentum vulgi sint necessaria, ad operis complementum quare, & quãdo. Sed vt breuiter hanc apparentem controuersiam (quam ex instituto intricatis tradunt sententiis, dum sese mutuo intelligunt Philosophi) in vnicam harmoniam reducam, hisce Guidonis de montano verbis expediam. Quamuis lapis Philosophorum perfici poterit, vsque ad albedinem vel rubedinem sine Auro, vel Argento vulgi, tamen non potest fieri Elixir sine Auro vel Argento vulgi, alteratis & præparatis, vt

prius, Vt vero huic Corollario coronidem imponam; Semper obſeruandum quod poſtquam opus hyemis ſit peractum, & Solem videbis in Ariete exaltatum, opuſque tunc incipiatur Philoſophicũ quod ipſa etiam hora, debeamus incipere fermenta præparare, quia longa egent præparatione, & ſummum eſſet incommodum, vt quando Rex eſuriret, deficerẽt cibi, vel non paratum eſſet ferculum opiparum. Sit ergo vnuſquiſque Artifex prouidus.

De Proiectione.

CAPVT IX.

Arteph.



ORPVS siccum terreum non tingit nisi tingatur, & quia non intrat ergo non alterat. Non idcircò tingit Aurum, quia eius spiritus occultus prius extrahi debet à ventre eius per aquam nostram albam, vt fiat omninò spiritualis. Artephius, fol. 13.

Ripleus. Multi per ignorantiam destruxerunt opus suum, quando fecerunt proiectionem super metallum impurum: nam illorum tincturæ propter corruptionem non permanent, sed euanescunt, quòd à corporibus non

non remouerunt, quæ post proiectionem sunt frangibilia, fusca, & nigra; Vide ergo vt tuam medicinam priùs proiicias super fermentum, tum erit illud fermentum frangibile vt vitrum, tum proiice illam frangibilem substantiam super corpora mundata, & valde pura, & statim videbis ea curiose colorata, cum tinctura, quæ omnes probas sustinebit. Sic fac proiectiones tres, aut quatuor, aut quinque quousque medicinæ tuæ tinctura incipit decrescere, tum finis est vlteriùs proiectionis faciendi. Ripleus, pag. 62.

Modus autem proiectionis est vt proiicias partem vnam medicinæ prædictæ super partes centum auri fusi, & facit ipsum frangibile, & totum erit medicina cuius vna pars proie- *Auicenna.*

cta super centum cuiuslibet metalli fusi, conuertit ipsum in aurum optimum; Et similiter si cum Luna opereris. Si verò medicma vel Elixir non haberet ingressum. Recipe de lapide in prima operatione extracto, & Mercurij prædicti ana, & simul misce, & incorpora in lapide terendo, & deinde Balneo distillando, vt meliùs coniungantur, deinde desicca. Auicenna, pag. 435.

Lullius. Fili mineras, quæ ad minerale magisterium pertinent compones suam, virtutem sic multiplicando. Recipe dicti pulueris vnam partem, vtpote vnciam, vel libram, & illam proiice super decem partes amalgamatis facti ex vna parte Lunæ, vel Solis, & quinque Mercurij, & secundum conditio

nem pulueris totum conuertetur in puluerem. Et de illis decem partibus vna super alias decem amalgamatis, vel Mercurij simplicis proiicias, & sic procedas computando, & proiiciendo, quousque videris materiam nec in puluerem, nec in metallum conuersum, sed in massam duram frangibilem. Et de illa facias experimentum, scilicet quot partes, vna potest in metallum transmutare. Et isto modo necessariò inuenies finem proiectionis, alias nunquam inuenies, nisi priùs conuertatur in massam duram frangibilem, vt tibi diximus. Lullij testament. pag. 64.

Est tamen hoc maximum secretum, quod medicinæ virtus etiam in proiectione poterit augeri, non solum in quantitate

Vētura!

extensa, sed etiam in virtute perfectionis, & bonitatis. Si videlicet medicina proiiciatur super corpus debita proportione, & totum ponatur in ignem & augeatur per suos gradus, & sæpius soluatur, & sæpius coaguletur, quousque fluat plus quam cera. Quapropter si in proiectione tantum sit medicina debilitata, quod ingressum non ampliùs haberet, ingressus sibi datur, si primæ pars medicinæ sibi iungatur, & coquatur soluendo, & coagulando donec fluat. Quanto tamen medicinæ virtus est minor, tanto temperatiorem ignem à principio, & per gradus temporis necessariò conuenit administrare. Si autem de medicina prima, & perfectissima nihil remanserit, quod addatur (quod

tamen ſummopere cauendum ab ingenioſo artifice ne hoc ſibi eueniat) aliter inde agere oportebit. Tertius modus eſt, vt vult Roſarius, quod medicinæ pars aliquanta ſiue albæ, ſiue rubeæ coniungatur lapidi, ſeu Mercurio noſtro, qui nunquam in opere fuit, & ponatur ad digeſtionem ſicut prius, & coquatur, putrifaciendo, ſublimando, & fixando, donec totum ſit oleum tinctum, tunc iterum habebis lapidem perfectum, & hoc fit in paucis diebus, & minore diſpend o, labore, & periculo. Semper autem aliquam partem ſerua pro fermento, tam de albo, quàm de rubeo, & excuſabit te hæc prudens conſideratio à multis laboribus. Ventura, pag. 195.

Sumatur vna pars medicinæ, *Clàgor.*

& decem partes Mercurij purgati, sic quod Mercurius calefit vsque ad fumositatem, & tunc proiiciatur medicina desuper, quæ statim fluet, & minima penetrando, tunc stato igne vigorato Mercurius fusus colligatur, cuius recipiatur modica pars, & tantum sui Mercurij viui ponatur ad ignem, & probetur pondus. Si Mercurius additus notabiliter recesserit, tum medicinam sufficit, ad vlteriores partes. Si autem corpus in corpore notabiliter diminutum non fuerit, sed materia adhuc fuerit frangibilis & nimis mollis, vel dura, tunc sumatur huius iterum modica pars, & tantum sui de Mercurio crudo, & per omnia, vti dictum est, procedatur, donec habeatur intentum. Clangor Buccinæ, pag. 539.

COROLLARIVM.

VTi Ciuium penaria nisi à Rusticis suppeditarentur, citò deuastarentur, ac itidem maxima breuiter exhaurire-tur ipsorum rusticorum anno-næ copia, nisi post opus hyemis, præparationem scilicet terræ, seminisque reconditi eflagella-tionem, iterum naturæ natu-randæ traderent, ipsiusque re-conderent gremio, ad putrefa-ciendum, soluendum & multi-plicandum. Similiter etiam in opere Philosophico, cuius re-clusa materia non sine magnis laboribus reperitur, cuius mo-dus præparandi mysticus non sine infinitis lucubrationibus intelligitur, cuius denique pro-

cessus, vt ad plus quam perfe-
ctionis gradum perducatur etsi
longus, difficilis, periculosus,
prius quàm immensus, ac infi-
nitus ille perficitur thesaurus:
Nihilo secius ipso peracto, nisi
modum multiplicandi, breui
temporis curriculo, paruisque
sumptibus teneamus leui ne-
gotio, totum breuiter consu-
meretur quod longis, & inde-
fatigatis laboribus adeptum
fuerit. Hoc ergo pro Corolla-
rio accipe, quod cum ex prædi-
ctis constat medicmam dupli-
citer multiplicari. Primo quan-
titate, & qualitate. Alias quan-
titate solummodo. Quantita-
te, & qualitate fit resolutione,
& fermentatione. Quantitate
tantum, Proiectione: Summo
studio omnique prouidentia
cauendum ne per ignorantiam

formæ rectæ proiectionis, opus illud diuinum cum iam ad complementum, & plus quam perfectionis gradum deductum sit, destruatur. Sciendum est igitur, quod super quodcunque corpus prius medicinam proieceris, in pulue-rem transmutabit naturæ corporis correspondentem, super quod proieceris, quod mysticum quidem est & mirandum. Si ergo Elixir ad Solem habere desideras, supra Solem fiat prima tua proiectio, vt Sole specificetur. Et sic cum Luna ad Lunam, deinde progrediendum, vt superius lucidè satis ab authoritate probatissimorum patet Philosophorum.

Multiplicatio.

CAPVT X.

Semita. MNE crescens, vel nascens multiplicatur in sua specie, vt homines, arbores, grana, & huiusmodi; nam ex vno grano mille generantur: ergo possibile est augeri res in infinitum. Semita Semitæ, pag. 438.

Bacho. Multiplicabis autem medicinam sic, postquam ipsam compleueris, respice super quot cadit, quo præuiso iterum resolue, & congela illam, & in qualibet resolutione, tinctura duplatur, vt si ante resolutionem ceciderit vna pars super

100. postea cadet supra 200. Bacho, fol. 19.

Duobus modis multiplicari poterit medicina, primo per solutionem & reiterationem congelationis, & hæc est eius multiplicatio virtualis in bonitate. Secunda per fermentationem, & hæc est eius multiplicatio in quantitate. Scala, pag. 164. *Scala.*

Multiplicatio medicinæ fit duobus modis, vna per reiteratam solutionem, & coagulationem lapidis, secunda per proiectionem primi lapidis Elixir super corpus, aut album, aut rubeum, tali quantitate, quod idem corpus etiam conuertatur in medicinam, & tum simul imponerentur hæc ad soluendum in sua aqua, & menstruo, & sic Elixir primum est fermentum talis tincturæ & *Rosar.*

ſic mulieres piſtrices faciunt. Roſar. Philoſoph. pag. 349.

Clăgor.] Augmentum in qualitate & bonitate eſt ipſam tincturam ſoluere & coagulare, hoc eſt Mercurio noſtro imbibere, & exſiccare. Vel ſic recipe tincturæ præparatæ partem vnam, & ſolue in tribus partibus, Mercurij noſtri, deinde fac in vaſe, & ſigilla vas, & pone inter cineres calidos per totum, donec exſiccetur, & puluis fiat, deinde aperi vitrum, & iterum imbibe, & exſicca, vt ſupra, & quoties hoc pluries facies, toties aliquas partes lucraberis.

Vel recipe materiæ fixæ, quæ tingit, id eſt tincturæ præparatæ partes tres, & Mercurij Philoſophorum partem vnam, & fac in vaſe, & ſigilla vas, & pone inter cineres calidos, vt ſu-

pra, & exſicca, vt puluis fiat, deinde aperi vitrum, imbibe, & exſicca vt ſupra. Et aqua, id eſt argentum viuum, vel Mercurius non plus ponderis adiicit, vel dat corpori niſi quantum de humiditate metallina manet.

Item Multiplicatio in quantitate fit per mixtionem medicinæ in crucibilo cum argento viuo vulgi, quod quidem argentum viuum per admixtionem lapidis conuertitur in puluerem rubrum, & iterato, quod mittatur, de illo puluere argenti viui, ſuper aliud argentum viuum, & iterato conuertitur in puluerem, & ſic facies reiterationes pulueris argenti viui, ſuper aliud argentū viuum donec argentum viuum non conuertatur in puluerē ſed maneat conuerſū in metallū perfe-

ctum. Clangor Buccinæ, p. 533.

Si velis illam multiplicare oportet iterato soluere illud rubrum in noua aqua dissolutiua, & iterata decoctione dealbare, & rubificare per gradus ignis, reiterando primum regimen. Solue, gela, reitera, claudendo, aperiendo & multiplicando, in quantitate & qualitate ad tuum placitum. Quia per nouam corruptionem, & generationem iterum introducitur nouus motus, & sic non possumus adipisci finem, si semper operari velimus, per reiteratam solutionem & coagulationem, mediante aqua nostra dissolutiua, id est dissoluendo, & coagulando, vti dictum est per primum regimen. Et sic eius virtus augmentatur, & multiplicatur in quantitate

& qualitate, ita quod in primo opere recipit centum, in secundo habebis mille, in tertio decem millia, & sic prosequendo veniet Proiectio tua vsque in infinitum, tingendo verè, & perfectè, & fixè omnem quantamcunque quantitatem & sic per rem vilis pretij additur color, virtus, & pondus. Artephius, fol. 37.

COROLLARIVM.

NOui inquit Bernardus Comes Treuisanus quemdam ex Marchia Anchonæ, qui lapidem optimè nouerat, multiplicationem autem ignorabat, hic me inquit sedecim annos integros sollicitè insequutus est, vt disceret, verum ex

me nunquam sciuit, libros enim habuit, vt ego.

Neminem autem, adeo hebetem, & stupidum tenebo, quin ipsius lapidis multiplicationem ex hoc capitulo facillime intelligere possit. Talia quo sæpius soluuntur, filtrantur, coagulantur, eò magis subtilia; pura, penetrantia multoque magis transparentia euadunt. Similiter se habet, cum lapide isto Phisico, qui etiamsi sit ad perfectionem deductus, tamen quo sæpius soluitur, & coagulatur, eò multiplicantur ipsius vires, in proiectione, vsque dum peruenerint ad numerum infinitum. Cuius Praxi in hoc vltimo nostro Capitulo non opus erit vlteriorem vt addam paraphrasin, dum soluens hic noster Mercurius Phi-

losophicus ex antedictis in hoc nostro Fasciculo satis apertè vnicuique elucidatur: Ignem illum esse, quem naturalem nominant, cuius ope, Elixiris fit solutio, & resolutio, eiusque proportionem & modum operandi, verè & eleganter sine tropis, aut figuris in hoc capitulo explicauerunt. Satis namque superque antequam huc deuentum fuit, parabolicis illorum nebulis obscuratur, & obumbratur vera illa Semita Semitæ, qua per ardua, & tonsas, ducuntur huius artis Philomates, ad Arcem illam Philosophiæ celeberrimam. Naturæ & Arti consecratam, in qua incarceratut, ignis naturæ seratus; Deus trinus, & vnus, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus.

Altitudo incomprehensibilis, Trinitas impartibilis, Essentia immutabilis, qui intra omnia regit', sed non inclusiuè extra omnia, sed non exclusiuè, immensus, incircumscriptus, ineffabilis, ex infinita, & inenarrabili sua misericordia dignis pulsantibus & opem ipsius, implorantibus, aperiat, detegat reseret, ad ipsius laudem perpetuam, & honorem sempiternum. Amen.

OBSERVANDA.

1. MATERIA cognita & habita non debet custodiri in loco tepido, nec humido, sed frigido, & sicco, nec diù prestolandum sed dum recens sit à sua minera extracta, cum illa operari incipias.

2. Operari non incipias nisi pro biennio sufficientes de proprio habueris expensas, vt si prima vice defeceris, in secunda corrigas. Quia nec verum nisi falso, nec rectum nisi obliquo perpendes, vnde si expensis carueris, opus incompletum relinques, à quo nihil nisi laborem reportes.

3. Balneo separanda sunt elementa ita lento, vt alembi-

cus calorem non sentiat, sed vapor eleuatus frigidiore aëre congelatus in aquam conuertatur, habentem formam omnium specierum à quibus generatur.

4. Aqua postquam distillata fuerit, non diù dimittatur stare, quando operationi apta fuerit, quia coagulum eius cadit in fundum, coagulatum per frigidum aëris, & siccum congelans. Quod inquit Senior cuidam sociorum meorum contigit, qui per annum sic inueniet, sed non fuit distillata.

5. Necesse est, vt artifex magnam habeat aquæ quantitatem, quia in principio, medio, & fine semper erit ipsius necessitas tam in putrefaciendo, abluendo, calcinando, sublimando, imbibendo, quàm vt

Elixir sæpius soluatur. Vnde Auicenna in epist. sua ad filium. Fili mi oportet te habere magnam quantitatem Solis, & Lunæ nostræ, vt humiditatem illorum extrahas, sexaginta libras ad minus.

6. Cum vna libra aquæ, poteris materiam tuam soluere in aquam, vsque in infinitam quantitatem. Sed qui hanc primam colligere cupit libram, patientiam teneat, & lentè, suauiterque, non festinanter procedat, vnde opus illud dicitur à Philosophis Sudoris sui extractio.

7. Summoperè præcauendum, ne vnquam frigidum vitrum ponas in aquam calidam, vel è contra alioqui frangeretur, & amitteres laborem tuum.

8. Notandum quando vis

vas accipere, debes permittere infrigidari, cum aqua per tres horas ad minus.

9. Cauendum in diſtillatione ne aqua bulliat in dicto tempore.

10. In omni digeſtione ſigillandum eſt vitrum ſigillo Hermetis.

11. Ad incerationem fixandum, à prauis obſeruatur neceſſitas, vt ignis deſuper fiat, quo melius materia figatur, quod tamen non negligendum.

12. Qui intelligit, quid ſibi velit Philoſophorum Magneſia. Præparationem & primi operis perfectionem intelligit, ac quid ſibi velit, Sal naturæ, Sal Armoniacus, Mercurius exuberatus & ſulphur naturæ, quibus intellectis, *dimidium fa-*

cti, qui benè cœpit, habet.

13. Quamprimum opus ſecundum, ſiue Philoſophicum inceptum ſit, ne obliuiſcaris, eadem etiam hora fermentorum tuorum præparationem inire, quia longa egent præparatione, Solis fermentum fiat Sol. Lunæ Luna.

14. Ad Regis palatium conſtruendum neceſſariò ſequentes requiruntur artifices. Lapidarius, Faber Ferrarius, Vitrearius, Figulus, Faber Lignarius, ſine quibus nec rectè conſtrui, neque inibi à frigore, & ventorum iniuriis Rex cuſtodiri poterit.

15. Multi per ignorantiã opus ſuum deſtruxerunt quando ſuper imperfecta metalla primitus proiectionem medicinæ fe-

cerunt, nam ſuper quodcunque corpus prius medicinam ptoieceris, illud deueniet in maſſam frangibilem, & erit Elixir ſecundum naturam corporis, ſuper quod proiectum fuerit, adeo vtſi ſuper Iouem, aut Venerem fieret proiectio illa erit medicina, quæ non modo alia imperfecta corpora in Iouem vel Venerem conuertat ſed etiam perfecta corpora ſcilicet Solem & Lunam, in imperfecta corpora reducet ſecundum naturam corporis ſuper quod prius proiecta fuerit medicina. Vnde admiratione percullſus doctiſſimus Raimundus, his exclamauit verbis. Numquid natura retrograda?

16. Qui Philoſophorum dicta

cta intelligere capit, non debet verbis adhibere fidem, sed rebus, non intelligentia verborum ex causis assumenda est dicendi quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.

17. Nota quod ad distillandum corpus ponderosum, vel saltem aquam cum sua salsedine, requiritur vas curtum & latum, quia quantùm aqua corpore ponderosior, tantùm decet vas esse latius & infimius, per quod exigitur calor magis temperatus, vt operi vtilior.

18. Cauendum est semper intimè, ne vnquam à coniunctione prima ad albedinem materia frigescat nec aliqualiter moueatur propter periculum imminens.

19. Non imponatur maior quantitas materiæ in ouum Philosophicum, quàm ipsius duas tertias partes ad summum impleat.

20. Notandum quod in terræ ablutione siue calcinatione, licet aquæ ipsius imbibitio siue exsiccatio, in præparatione fit calore temperato balnei; tamen eius sublimatio siue ortus perficitur igne celeri cinerum.

21. Opus Philosophicum incipiatur cum æquali proportione terræ præparatæ, & aquæ puræ septies rectificatæ, quæ coniungantur, & in vitro ouali hermeticè sigillato, reponantur, deinde in furno Philosophico, siue Athanore collocentur, igneque lentissi-

mo foueantur, dum terra aquam imbiberit ſuam, & ſecundum Ripleum, abierint in ſicco flumina. Tunc tandem, refocilletur materia ſicca ſeptem imbibitionibus, & vnaquæque imbibitio, proportionem ſequentem teneat, vt iuſta menſura ſecundum doctrinam Philoſophorum, aqua nouies excedat terram. Quod aliter fieri non poteſt niſi his obſeruatis numeris. Hoc verò arcanum, à nemine hactenus patefactum fuit.

Exempli gratia ſi in prima coniunctione terra ponderet 480. grana, addantur tot ſibi aquæ ſuæ quæ ſimul conſtituunt, 960. grana, & tempore ſtatuto ad primam imbibitionem, requiruntur nouæ

aquæ 240. grana, ad secundam 300. grana, ad tertiam 375. grana, ad quartam, 468. ad quintam 585. ad sextam, 732. ad septimam, 940. quibus perficitur imbibitio. Vbi ad fermentationem progrediendum.



FINIS.

Nil adeò paruum est, tibi quin solatia præstet.
Sæpéque pūctum vnum, grande leuamen habet.